Br.

auct. class. N. 11

cf. Heynii comentat. de antiqua Homeri lectione indaganda diiudicanda et restituenda in T. XIII. comentat. societ. reg. scient. Gottingensis.

Zur

Kön. kath. Gymn. Lehrer. Bibl.
zu Glogau gehörig.

HOMERI
OPERA OMNIA

EX

RECENSIONE

FRID. AUG. WOLFII.

TOMUS PRIOR.

PROLEGOMENA
AD
HOMERUM

SIVE
DE
OPERUM HOMERICORUM
PRISCA ET GENUINA FORMA
VARIISQUE MUTATIONIBUS
ET
PROBABILI RATIONE EMENDANDI.

SCRIPSIT
FRID. AUG. WOLFIUS.

VOLUMEN I.

HALIS SAXONUM,
E LIBRARIA ORPHANOTROPHEI.
cIↄIↄccLXXXXV.

DAVIDI RUHNKENIO

PRINCIPI CRITICORUM

CURAM HANC

IN

HOMERO

POSITAM PONENDAMQUE

CONSECRAVIT

FRID. AUG. WOLFIUS.

PROLEGOMENA

AD

HOMERUM.

PROLEGOMENA.

I.

Duplex in primis genus eſt emendationis, quod libris veterum admoveri et poteſt et ſolet, ut a vitiis et maculis, quas ex longa peregrinatione in barbariem varias plurimasque traxerunt, liberati, propius ad antiquam et ſuam formam revocentur. Alterum plus negotii et, paene dixerim, aerumnae habet; alterum plus otioſae delectationis: utrumque, recte ſi adhibetur, utile eſt; at alterum utilius. Nam qui optimis ſubſidiis vel minime inſtructus, ſcriptorem nobis emendatiorem reddit, ſive ingenio ſuo, ſive paucorum librorum uſu; quamvis vix triginta naevos ſuſtulerit, centum relinquat, eum tamen nemo de bonis litteris bene mereri neget. Itaque res fieri ſolebat tum maxime, quum libri calamo ſcripti non ita pridem prelis ſubiici coepiſſent, inque dies ſumma novorum ſubſidiorum exſpectatio eſſet. Quem morem poſtea plerique ſunt imitati ad noſtram aetatem, etiam in iis ſcriptoribus, qui critica materia et omni genere adiumentorum abunda-

rent. Nimirum pauci novarum recenſionum auctores ita agunt, aut eam laboris patientiam afferunt, ut ex locis ſatis ſaepe reconditis et disparatis, in primisque ex veteribus exemplaribus, omnem varietatem lectionis contrahant, qua deinde cum vulgatis comparata, conſtantem emendationem aggrediantur. Immo conſiſtunt fere tum demum, ubi impeditior ſenſus vel ipſa ſpecie manifeſtum vitium obiicitur; iam ad varias lectiones aut ad vetus exemplar confugiunt, ſurda plerumque oracula, niſi conſtanter conſulentibus. Neque multum diverſa ratio eſt eorum, qui, quantumvis interdum docti ac ſollertes, omnem emendationem ex aliquot librorum MSS. fide ſuspenſam eſſe volunt, aut qui texta, quae vocantur, plane edunt ad unius exemplum; velut iſti tandem libri ad ſcriptoris ſalutem fatis deſtinati eſſent.

Ab hoc leviore et quaſi deſultorio genere plurimum discrepat iuſta, perpetua et certis artis legibus nixa recenſio. In illo nihil prope aliud, quam paſſim exſtantia aliquove libro prodita vulnera ſanare volumus; transmittimus plura, ad ſenſum quidem bona et tolerabilia, ſed ad auctoritatem nihilo meliora peſſimis. Iuſta autem recenſio, bonorum inſtrumentorum omnium ſtipata praeſidio, ubique veram manum ſcriptoris rimatur; ſcripturae cuiusque, non modo ſuſpectae, teſtes ordine interrogat, et quam omnes annuunt, non niſi graviſſimis de cauſis loco movet; alia, per ſe ſcriptore digniſſima, et ad veritatem ſeu elegantiam ſententiae optima, non niſi ſuffragatione teſtium recipit; haud raro adeo, cogentibus illis, pro venuſtis infert minus venuſta; emplaſtris ſolutis ulcera nudat; denique non monſtrata ſolum, ut mali medici, ſed et latentia vitia curat. Hac in ratione tametſi ingenio et arti coniectandi minime locus deeſt, tamen quoniam omnis veteris ſcripturae fides ab incorruptis monumentis pendet, ante omnia eſt elaborandum, id quod fieri certe nequit ſine ingenio, ut fontium, unde cuiusque ſcriptoris textus hauriatur, proprietates et ſingularem naturam ſcrutemur; varios teſtes, per claſſes et familias diſpoſitos, ex ſua quemque indole metiamur, atque calliditate quadam, nec illa tamen cupida, eorum tanquam voces et nutus excipere diſcamus. Etenim in plurimis rebus et Critico, et quicunque ſibi rem hiſtoricam exquirendam ſumpſit, imitanda eſt boni iudicis conſuetudo et prudentia; qui prius, quid teſtes afferant, lente explorat, et omnia veritatis argumenta colligit, quam rei geſtae coniecturam ſuam interponere audeat. Ac ne poteſt quidem fieri, ut qui paucis codicibus, quales vulgo occurrunt, fretus coniecturam quamvis ſagaciſſime exerceat, in multis veterem ac germanam ſcripturam asſequatur. Nam ut in rebus iudicandis tabularum et litterarum penuriam ingenium compenſare nullum poteſt; ita acerrima eius vis, non temperata et ſubacta asſiduo uſu librorum, in hiſtoricis et criticis rebus fruſtra laborat. Quippe hae utraeque res magis

nomine quam genere inter ſe differunt, nec diverſis tenentur iudicandi regulis. Itaque ut ingenium, ſicut par eſt, membranaceis theſauris longe praeferas, plurimum tamen intereſt ipſius ingenii, quam plurimos codices comparari, quorum teſtimoniis iudicium de vera lectione nitatur, et multis modis adiuvetur divinatio. Quare quo frequentius ſcriptor aliquis ad codicum collationem vocatus eſt, eo magis iuſta illa et conſtans recenſio locum habet: in ceteris, qui adhuc paucitate ſubſidiorum laborant, haud ſcio an multiplicandis textorum formis haec ſtudia, nimis per ſe operoſa, impediantur potius quam ornentur. In tales nempe *recognitio* quaedam, non veri nominis *recenſio* cadere videri poteſt.

II.

Sed de his in univerſum nemo ambigat: in Homero autem, antiquiſſimo vate, id ipſum dubitari video, tantine tam novorum codicum auctoritas facienda ſit. Nam nullus eorum ne poſtremorum quidem Latinorum ſcriptorum tempora attingit; pauci ſunt et rari, qui XII. vel XI. ſaeculum excedant. Quae dubitatio ſi eam vim habeat, ut poëta nobis ex his fontibus ad veritatem et integritatem textus, primum divino eius ore fuſi, redigi nequeat, dicam poſthac, quam libenter hanc ſectam rationemque ſequar. At quum veterum librorum fata cogito, nonnunquam praeter ſpem proſpera, atque animadverto, quam prope germano

nitori redditos habeamus Herodotum, Platonem, Xenophontem, alios aevi eiusdem, quos ex eorundem librariorum manibus accepimus; niſi forte priſcorum ἀοιδῶν peſſima ad nos exemplaria venerint, non reperio, cur his tanto minus quam illis confidendum ſit. Accedit huc, quod Criticorum Alexandrinorum, qui deinceps exſtiterunt, opera contigit, ut nos haud dubie Homerum multis locis rectius ſcriptum legamus, quam illi ipſi legere poſſent. Denique in iis ſcriptoribus, qui Homeri verſus apponunt, pauciores ſane, quam quis ſperet, diverſitates lectionis ſunt, quae quidem alicuius momenti ſint, nec infida memoria vitiatae, quas non ex iſtis codicibus paene easdem recipiamus. Novitas enim codicum non maius vitium eſt, quam hominum adoleſcentia: etiam hic non ſemper aetas ſapientiam affert; ut quisque antiquum et bonum auctorem bene ſequitur, ita teſtis eſt bonus. Etſi igitur Scholiorum et Gloſſariorum apparatui aliquanto plus quam nudis membranis tribuo; pluribus tamen exemplis ſaepe perſpexi, haec Carmina non niſi utrisque coniunctis copiis ad eam ſcripturam revocari poſſe, quae neque ipſis ſit indigna, nec a doctae antiquitatis praeceptis abhorrens. Et hoc in loco ita nobis acquieſcendum erit, ut, ſi purum putum ἀοιδὸν quaeramus, nec idem nobis, quod Plutarcho, Longino vel Proclo, ſatis eſſe putemus, aut ad inania vota, aut ad effrenatam divinandi libidinem res reditura eſſe videatur.

III.

Abiecta ergo ſpe, fore unquam, ut Carminum Homericorum quae primitus fuerit forma, alibi quam in mente noſtra, et id quidem rudibus lineis, fingi queat, experiendum videbatur, quo nos in expoliendis his aeternis et unicis Graeci ingenii reliquiis veſtigia antiquitatis ducerent. Quam curam quum inter tot diverſa, quae melior earum illuſtratio poſcit, primam et maxime neceſſariam eſſe cenſerem, hac editione ad eam ita animum applicui, ut accuratioris recenſionis, cuius modum ſupra deſignavi, ſpecimen darem. Id Homero nondum contigiſſe, inter eruditos conſtat. Nam inſtrumentorum idoneo numero carentes antehac editores ne poterant quidem, ſi voluiſſent, tale conſilium inire: itaque plerumque, niſi eos forte aliquis pannus Scholii vel Euſtathii codicisve varietas commoveret, obviae perſpicuitati ſententiarum ſecure indormiebant. Adeo Homero inſignis ſua laus tenuitatem attulit et maciem, quum alii vitiis ſuis pingueſcerent. Lycophronis tenebras ſi obieciſſet, mirum ni ei toti greges baiulorum iam dudum lucem undecunque apportaſſent. Non ego cuiquam eorum, qui poëtam olim ediderunt, vitio vertam, tam parum ſtudioſe ab iis membranas et reliquias Scholiorum ex bibliothecis conquiſitas eſſe: id fortunae magis eſt quam ingenii aut induſtriae: quanquam nonnulli, ut Berglerus, etiam oblatas eiusmodi opes ſpreverunt; aliis autem, ut Italicis editoribus, earum utendarum facul-

tas in vicinia erat. In his rebus, ut dixi, caſus dominatur. Sed quod ne haec quidem, quae apud vulgatos ſcriptores, Grammaticos et Lexicographos in promptu erant, nec congeſta ab ullo eorum, neque ad conſtituendum textum adhibita ſunt, id ſoli negligentiae ac levitati imputandum dixeris. Nam quis primum evolvat v. c. Apollonium Dyscolum, Etymologicum M., Heſychium, quin ſtatim viderit, multas ibi lectiones et διττογραφίας latere? ut huius certe rei monitore nemo egeret. At minoris operae eſt, virgulae cuidam divinae fidere, ſi quid ea inter ipſam curam edendi offerat, quam tot tam tetricae doctrinae libros tractare, animo ad unum opus intento. Quid? quod eos ne Euſtathium quidem, cui omnes interpretationis Homericae palmam dabant, totum conſtanter pervolutaſſe, et quae huic inſunt utilia excerpſiſſe, quaevis Rhapſodia arguit.

Henr. quidem Stephanum Barneſius non immerito accuſat Euſtathio negligenter uſum fuiſſe: niſi laborioſiſſimum virum, quum ſubitarias notas ſcriberet, ea dicas afferre noluiſſe, quibus non ad corrigendum uſus eſſet. Illis enim ſaeculis impune disſimulabantur labores, quos hodie mutatis moribus in lucem proferre cogimur. Ita ab Aldina inde ſecunda pluribus priorum editorum, quamvis tacentibus, hunc Grammaticum prorſus neglectum non credam, ex quo eos etiam recepiſſe video nonnulla, quae vix aliunde ſumere poſſent: ſed conſtantiam comparationis non reperio. Eamque ne Ro-

mana quidem editio plane probat, illa quae textum iuxta et illius Commentarium continet. Ipse vero Barnesius, qui Eustathii *intima scrinia se compilasse* iactat, quam in hac et reliquis professionibus suis vanus sit, et alii viri docti, et unus de paucis, qui Eustathium gnaviter perlegerant, Valckenarius monuit. Neque tamen Barnesius, cetera ineptus homo, et parum accurate doctus, hac laude fraudandus est, eum fuisse primum, qui ex antiquis scriptoribus aliquid ad insequentium usum expremeret, aliquid ipse etiam ex his fontibus bene corrigeret. Temerarias eius correctiones, numero plures, qui rursus expunxit, Clarkius, vir grammaticae doctrinae peritissimus, ingenium ubique prodit tali labori et omni severitati criticae operae alienum. Is igitur auctoritatem lectionum, quae quidem ex vetustis exemplis peti debebat, omisit, contentus fere parva illa varietate, quam Appendix vulgarium olim editionum, et Stephanus Barnesiusque dederant; ad Eustathium vel Scholia rarius devertit, ubi alii haeserant, aut ipse sententiae suae quaerebat auctorem; reliqua leviter, et leniter, miraque moderatione, ut nonnunquam vel in meris ineptiis Barnesii nihil nisi *idoneam rationem* desideret. Alio animo et doctrinae apparatu ad repetendum Clarkianum exemplum accessit Ernestius, etsi non sponte, sed librarii sui voluntate. Quam ob rem eum magis admirandum puto in ornando hoc alieno opere, quam in propriis quibusdam, quae contentiori studio perpo-

livit. Hic tamen, qui et conferendis pluribus libris et vero etiam iudicando, id quod multis locis acutissime facit, omnium optime de lectione Homerica meruit, idem videbat significabatque in Praefat. Vol. V., quantum porro laborandum esset, dum contingere posset poëtae, ut ab omni parte purus et emendatus prodiret. Tantum aberat ille a perversa opinione eorum, qui hodieque hunc textum, qualis paullatim forte fortuna factus est, genuinum ac prope Μουσόπνευστον habere videntur; istorum exemplo Buxtorfianorum, qui eandem rem olim praedicabant de Hebraico codice suo, quum ab eo omnem ingenii et tantum non rationis humanae usum arcerent, ea quoque tanquam θεόπνευστα reveriti, quae nunc a doctis vitiosissima putantur.

IV.

Nec vero Ernestius quidquam minus sperare potuit, quam tales exornando Homero tantasque copias superesse, quantae his demum septem annis obtigerunt. Iam hic paucis verbis delibandum nobis est insigne meritum Villoisonii, qui primus duos Iliadis codices Venetos in publicum protulit cum ea Scholiorum congerie, quae antiquarum et ad horum Carminum fata et textus conditionem perspiciendam utilium rerum copiam multo maiorem, quam ceteri in unum collati libri omnes, suppeditat, atque omnino criticis et grammaticis divitiis non modo Eustathio, sed omnibus omnium poëtarum

Scholiaſtis longe antecellit. Ignoſcenda ſit forſan cupiditas quaedam in laudando libro, quem longa et operoſa tractatio nobis carum fecit. Verum ita de illo quemque exiſtimare cogat levis comparatio eorum, quae in hoc genere erant prius vulgata: fecus qui ſentiebant, vel non recentes erant a Scholiaſtarum lectione, vel editoris prima promiſſione in nimiam ſpem erecti, ſperatis mox minora ſe accepiſſe aegre ferebant. Videntur adeo fuiſſe, qui quum Zenodoti, Ariſtarchi, Cratetis, Alexionis, tot aliorum Alexandrinorum, nomina ibi ſaepe afferri, lectiones etiam editionum, quarum tenuis ad nos memoria veniſſet, atque multorum ſingularia de Homero ſcripta laudari audiviſſent, continuo has ipſas commentationes et διορθώσεις, in unum corpus compactas, nobis oblatum iri opinarentur. Tandem prodiit liber, longa exſpectatione doctorum celebratus, plus dimidio minor quam Euſtathius. Et attulit tantummodo ex illis criticorum et interpretum operibus Excerpta, non eo inſtituto facta, quod quis noſtrum nunc ſequatur in excerpendo, modo uberiora, modo contractiora; plurimis quidem referta lectionibus, ſed iis nec primorum fontium, nec rationum explicatione ſatis munitis; poſtremo multa, quae ad doctrinam et litteraturam Homericam, pauca, quae ad ſenſum poëticarum virtutum informandum faciant, admodum nihil, quod vatis aetatem ſuis opinionibus, moribus et omni ſentiendi et cogitandi tenore repraeſentet; ne quid de

auctario nugarum doctarum et indoctarum dicam, quo haec quoque Scholia aevum ſuum teſtantur.

Quare, ut nunc ſe res habet, ex quo Graecorum ac Latinorum litterae in popularem gyrum coartari coeperunt, valde verendum eſt, ne operi, quod maxime deficit in iis, quae vulgo cupidiſſime anquirimus, vix aliqui contingant e longinquo venerantes, lectores perpauci. Neque id, ut hodie loqui ſolent, legi poteſt; aſſidue tractari, excuti, cum reliquis omnibus, quibus vetuſtas pepercit, ſubſidiis curioſe conferri poſcit. Quod quo quis fecerit ſtudioſius, eo magis intelligat oportet, ex quanto naufragio in hoc doctrinae orbe quam pauca ad nos perlapſa fragmenta ſint, inſtar forulorum aliquot ex bibliotheca ingenti. Qua de re poſtea, ſi locum de Homericae lectionis fontibus attigero, pluribus dicendum erit. Sed quamvis ne unius quidem celebrium Criticorum veterum integras animadverſiones aut recenſionem recuperemus, quas propter varias cauſas mihi veriſimile non eſt, genuino ſuo habitu in V. et VI. ſaeculum perduraſſe; paſſimque in vulgato textu ſcripturae ſint iure ſuſpectae, quas nobis nulla notatio ſollicitet; alia prorſus deſerta, quae a veteribus diverſe illuſtrata eſſe aliunde diſcere vel ſuſpicari liceat; quum nonnulla, quae interprete non egebant, obruat moles commentariorum: ſed quamvis haec et maiora deſideres, tamen eorum, quae docte, acute, ingenioſe notata, quae utiliter animadverſa aut ex antiquiſſimo

aevo propagata sunt, adeo superat copia, ut quisque videat hoc thesauro recluso tantum adiumenti Homero ad accuratam, et criticam et historicam, interpretationem allatum, quantum ad aliorum poëtarum, quos iidem Alexandrini tractaverunt, habemus nullum. Ergo desinant aliquando Orientalium litterarum magistri, Masora sua superbi, dolere fortunam nostram, quod nobis scripturae Homericae auctoritas posita sit in tam novorum codicum fide, plerisque veterum recensionum vestigiis sic obtritis ac deletis, ut textus nostri conformatio paene in obscuro lateat. Habemus nunc, si omnia undique excerpta componimus, Masoram etiam Graecam quandam, tum vetustate, tum variae eruditionis copia multo praestantiorem, multoque melius servatam. Atque hac utraque, et Graeca et Hebraica, farragine comparanda, nunc demum altius perspicere licebit, a quibus principiis olim omnis emendatio librorum et critica ars profecta sit, cum aliis rebus pluribus, quibus litteratae antiquitatis cognitio continetur: cui studio etiam ad intelligendum poëtam saepe plus debemus, quam hic locus capiat. Quod autem inprimis notabile est, et Venetis his codd. eximium pretium addit; accepimus in illis normam et quasi amussim, ad quam codicum nostrorum, et eorum qui posthac conferentur, qualitas et conditio firmiter exigi possit.

Illud iam nunc nos docuit usus variantium, quas ex quinque codd. Vindobonensibus edidit

Alterus, vir doctissimus et indefessa industria. Sed hae lectiones, cum Venetis ceterisque copiis comparatae, mihi parum spei relinquunt, fore ut ad Iliada quidem ex codicibus multa nova et praecipua usquam prodeant. Nam ipsi meliores libri Vindobonenses nihil aliud fere nisi cognita et alibi reperta confirmant, quum ex iis appareat, quae lectiones alicui posteriorum temporum Grammatico vel librario praestabiliores visae sint. Cuiusmodi auctoritates quoniam nec ipsae per se, nec numerus et multitudo earum quidquam momenti faciat, praesertim si non nominatae, auctorum gravitate careant; haud paullo plus accessurum putem huic apparatui lectionum, si viri docti plura Glossaria et Scholia inedita excusserint, quam si nos ditaverint decem vel viginti novorum codicum scripturis. Quidni autem illud unius Homeri gratia operae pretium sit? quando aliorum librorum veterum, sacrorum quidem, critica illustratio admodum nuper tot equos viros exercuit, ipsos adeo Europae fines egressa, tantumque hausit nummorum, quorum tertia parte pauper Homerus contentus esset. Nunc ille adhuc Kennicottum suum exspectat, ut denique constet, quid omnino in deperditis numerandum, cuius adhuc quasi ex quisquiliis corradendi spes reliqua sit.

V.

Gaudebo, si falsus fuero: mihi vero paratis opibus acquiescendum putanti, quum Odysseae

tantum novos codices quaererem, ſtatim ab eo tempore, quo poëta primum in hac urbe uſui ſcholarum aptaretur, ipſa tunc curae meae feſtinatio quodammodo extorſit hoc conſilii, ut colligendo, quodcunque textus rationibus ullo modo profore videretur, ſtrenue me ad hunc recenſionis laborem pararem. Quidquid interea egi, etſi nonnulla me ſatis occupatum tenebant, ſubſecivae operae fuerunt; Homerum nunquam diu ex animo et conſpectu amiſi. Nam plurima videbam mihi non ſolum colligenda ſed etiam diſcenda et ab initiis pertractanda eſſe, quippe qui tum, quum primum ederem, doctam interpretationem vix attigiſſem. Itaque exorſus ab Euſtathio, grammaticam partem eius diligenter excuſſi; mox excerpſi lectiones, quas ille aut in vulgatis exemplis ſuis, aut in marginibus eorum, vel alibi reperiſſe ſe proderet. Adiunxi deinde, praeter cetera tum vulgata Scholia, bonum numerum variantium et notarum critici generis, quas mihi duo nunc deſideratiſſimi amici ex cod. Lipſienſi Paullino exſignaverant, in recenſu Erneſtiano omiſſas. Paullo poſt proprio ſtudio pervolvi Lexicographos, Scholiaſtas et alios Grammaticos veteres, tum, prout tempus meum ferebat, reliquos ſcriptores, quoscunque ullum Homericae ſcripturae veſtigium ſervare ſperabam. Neque inter haec neglexi poëtas Graecos, in primis Alexandrinos, imitationes Homeri conſectans, non ut, quomodo flores olerent in alienum ſolum tranſlati, adverterem, etſi

eius ſtudii, ſuo loco adhibiti, non deſpicio elegantiam; ſed ſicubi iſti uſu verborum et genere loquendi, ad principem artis ſuae conformato, ſignificarent, quid in optimis exemplaribus illius legiſſent, aut legendum ipſi cenſuiſſent. Cuius animadverſionis, ne quis eam longius evagatam putet, ſatis magnum fructum percepi, praeſertim ex iis poëtis, quos ambiguum eſt poëtasne verius an litteratores dicamus. Ita vero luſtratis Graecarum et Latinarum litterarum latebris omnibus, quae uſpiam fusceptae rei adiumentum oſtenderent, grandique lectionum et criticarum notationum apparatu contracto, aucti ſumus Venetis illis et Vindobonenſibus praeſidiis. Novus hic campus apertus novum laborem obiecit in iis ipſis, quae abſoluta putaram. Videbam enim bonam partem confectae viae mihi iterandam eſſe, ut primam meſſem cum novis opibus contenderem, et, ſi forte aliquid utile antea pro ſpico nequam omiſiſſem, id ex contentione rectius aeſtimatum reprehenderem. Qua in opera quo progreſſus ſum longius, eo mirabilius ſentire coepi de Venetorum Scholiorum praeſtantia, ſine quibus multarum lectionum et verſuum auctoritas nobis prorſus incomperta eſſet. Neque hoc nobis ſolis dolendum erat, qui in his ſtudiis tam ſero verſamur. Nam etiam Euſtathium, quem deinde iterum tertiumque comparavi, quum antiquiſſimi codicis Ven. CCCCLIII. notitia caruiſſet, iſta in re cognovi haud multo meliore fortuna uſum, quam quemvis

recentiorum editorum cum proletariis codicibus ſuis. At ille, qui in Homero nihil praeter pulchrum poëtam mirabatur, priſcorum eius fatorum minus curioſus, et rhetoricos potius quam criticos interpretes ſectatus, omnino ab hac parte non tantam, quanta vulgo fruitur, laudem meruit, plurimam debet iacturae doctiorum Scholiorum.

Poſtremo retuli me ad cognoſcendum, quidquid bonae frugis allatum eſſet ex manu ſcriptis exemplaribus, curamque conferendarum primarum editionum, inſtitutam ab Erneſtio, usque ad Stephanianam perſecutus ſum; longe quidem minore fructu quam labore. Paucae enim his editis libris propriae ſunt lectiones; et quae in eo numero bonae ſunt et textu dignae, earum quoad fontes ignoramus, non ita gravis auctoritas eſſe poteſt; quum codices quidam, praecipue Venetus ille, propter teſtimonia Scholiorum plerumque etiam ibi mereantur fidem, ubi ceterorum librorum conſenſus non accedit. Qua in re ſaepe mihi uſu venit, ut longo circuitu pervenirem ad eas correctiones, quas eximii libri primus adſpectus fruſtra obtulerat. Nam quae magna eſt huius mei ac Veneti textus convenientia, eam ſponte natam habui, non quaeſivi. Quoniam enim me conſtanter ad fidem teſtatae antiquitatis contuleram, nihil tribuens vulgari levitati, quae dum ſcripturae veritatem elegantia vel ſimili ſpecie metitur, nova et antiqua fere nullo diſcrimine arripit; etiam principes editiones perraro, et ne Venetum quidem codicem neque Euſtathium niſi de fontibus ſuis monentes, audiendos eſſe duxi. Itaque ſi in huius verboſiſſimi hominis voluminibus nihil aliud quam variantes lectiones quaeſiſſem, quum ex iis, quae ipſi propriae ſunt, pauciſſimas recepcrim, minima pars emendationis meae mihi maximo taedio et diſpendio temporis redimenda erat.

VI.

Sed nequaquam me poenitet huius ſtudii, quod per hanc occaſionem in tractatione veterum Grammaticorum conſumpſi. Immo tantum eo me adiutum ſentio, non modo ad hoc opus, ſed ad omnem facultatem linguae Graecae, neminem ut arbitrer in ullo Graeco ſcriptore edendo proficere poſſe, niſi ſimili curſu lectionis praecepta illorum collegerit, et ad optimas rationes examinaverit. Neque id moleſtum negotium eſt ei, qui aſſiduus et alacri animo idoneas rei horas carpere conſuerit. Credo ſane facilius eſſe, Grammaticorum minutias ridentem, de Homerici ſaeculi barbarie et horrido ſive erudito cultu ſermonis, de fabulari hiſtoria et inſipientia mythica, vel de epici Carminis virtutibus ex Ariſtotelis decretis philoſopho molimine diſputare. Nempe taedet in iſta lectione doctos indoctarum quarundam et minutarum argutiarum. At primum modeſtia vetat ullam rem contemnere, priusquam eam probe cognoveris. Et, ne dicam, quam multa illi nobis ſoli ex vetuſta memoria ſervaverint, iidem arguti ſaepe

etiam ſenſum verborum optime expediunt, quippe quos uſus linguae nondum penitus amiſſus tutos praeſtabat a pluribus erroribus, quos hodie male tegimus novae interpretationis deliciis. In Homero porro ſingularis oblectatio quaedam et dignitas illius operae accedit ex eo, quod variarum lectionum et canonum technicorum, quos libri grammatici et Scholia praebent, conquiſitione et cenſura in vetus et plerisque antiquis ſcriptoribus antiquius aevum ac quaſi in ſocietatem vocamur doctiſſimorum Criticorum, quorum iudicia et praeceptiones, quibus olim Ciceronis, Virgilii, Horatii adoleſcentia alebatur [1]), quamvis de Graeca, id eſt patria ipſorum, lingua ſcriptas, nos barbari ὀψιμαθεῖς paſſim non abſurde refingere poſſe videamur. Talem conditionem critici muneris, nullus eſt ſcriptor aut poëta antiquitatis, qui perinde atque hic noſter offerat. Quum vero plurima ex illorum Criticorum commentariis, tanquam per manus tradita, alia in alias aetates, vetuſtiſſima partim in noviſſimas, devenerint, omnes iſtius generis reliquias colligere plane oportuit eum, qui integriorem textum requirebat. Quodſi illud induſtrie feci, atque nullum neglexi locum, unde hanc recenſionem limatiorem redderem, nihil mihi laboraviſſe videor, praeterquam quod res ipſa exigeret. Minime ergo querar, quantum moleſtiae exhauſerim in hoc tam diverſarum rerum paratu, in tot ſcriptoribus pervolvendis, in legendis et partim reconcinnandis Scholiis, atque in conquirenda et excutienda tanta et perſaepe inutili farragine gloſſarum et lectionum. Navavi libens, quod, qualecunque navavi, et ad meam ipſius utilitatem. Ac ne haec quidem de ſtudiis meis praefarer, niſi mihi ratio eius operis reddenda eſſet, in quo alienis laboribus frui non liceret. A iactatione induſtriae tantum abſum, ut non tam laudi mihi dari cupiam, ſi neceſſariam operam non detrectarim, quam vitio, ſi vel minus recte in ea ſim verſatus, vel quidquam certae emendationi profuturum omiſerim.

[1]) Non ambitioſe hoc dici, plures loci Ciceronis, Senecae et aliorum docent, atque omnis ratio grammaticae et liberalis inſtitutionis apud Romanos.

VII.

Etenim illud mihi unum propoſitum fuit praecipue, ut textum Homeri ad normam eruditae antiquitatis emendarem, atque eum verbis, interpunctione, accentibus, prope talem exhiberem, qualis ex recenſionibus olim probatiſſimis refictus, ſi tantum ſperare fas eſt, Longino alicui ſeu alii veteri Critico, qui copiis Alexandrinorum perite moderateque uti ſciret, ſatis placiturus fuiſſe videretur. Hoc quid rei ſit atque conſilii, et quas in eo rationes ſecutus ſim, Commentarii materia eſt, non Praefationis. Nam ſi non ſolum indoctorum calumnias amovere, ſed ipſas cauſas inſtituti ad liquidum perducere velim, multa, quae vulgaribus

erroribus implicantur, ad verum revocanda ſint; alia, quae tot librorum interitus obſcurat, alte repetitis hiſtoricis coniecturis illuſtranda, omniaque confirmanda exemplis, ad communem intelligentiam delectis. Ut vero clarius appareat, quibus potiſſimum praeceptis regatur Homerica emendatio, maximo ſtudio in tralaticii textus mutationes inquiri oportet, recenſendis fontibus et rivulis earum, qui vel olim manaverunt, vel etiam hodie patent. In hac infinita copia rerum nunc eo utar temperamento, ut graviſſima quaeque et utiliſſima paucis exſequar, nec ipſum, quem ingreſſus ſum, curſum, ſed extremos tantum fines eius et ſummam proponam. Igitur quum vulgatae ſcripturae conditionem et eius reformandae neceſſitatem attigero, primas lineas dabo disquiſitionis, qua per *ſex aetates* disparis intervalli et ingenii interior hiſtoria critica horum Carminum ad noſtrum usque tempus deducatur. *Primam aetatem* ponimus ab *origine ipſorum*, h. e. tempore cultioris poëſis Ionum, (circiter ante Chr. 950.) ad *Piſiſtratum*, tyrannum Athenienſem, cui a veteribus duorum corporum, quae nunc obtinet, diſpoſitio tribuitur; II. a *Piſiſtrato* ad *Zenodotum*, qui primus ex Grammaticis criticae Homericae celebriorem viam aperuit; III. a *Zenodoto* ad *Apionem*, propter artem interpretandi poëtae, ut Seneca ſcribit, tota Graecia circumlatum; IV. ab hoc inde ad *Longinum* ac diſcipulum eius, *Porphyrium*, a quo utroque lectio et interpretatio Homeri quodam modo adiuta eſt;

V. a *Porphyrio* usque ad auctorem editionis principis, *Demetrium Chalcondylen*, Athenienſem; VI. horum trium proximorum ſaeculorum, quibus Homerus variis modis ingenia virorum doctorum et officinas typographorum exercuit [2]). Haec prior

[2]) Haec una poſtrema aetas, quam in ceteris ſcriptoribus hiſtoria litteraria raro egreditur, tantum proventum habet omnis generis librorum, ut titulos eorum percenſere magnum negotium ſit. Curavit id nuper novus Editor Bibliothecae Fabricianae copioſe et accurate; neque ille tamen in iudicandis inſtrumentis rei criticae et indice editionum aliis nihil mutandum et augendum reliquit. Nobis vero iterum monendi ſunt lectores, ne quid aliud exſpectent quam uberioris ſcriptionis adumbrationem, et eam magis in interiore uſu criticae ſilvae quam in rebus litterariis occupatam. Quapropter antiquos potiſſimum fontes anquiremus, non hos novitios editorum librorum: quibus quae factae ſunt viciſſitudines textus, ſi cum illis comparentur, vix dignae ſunt occupati hominis indagatione. Omnino in hac parte antiquarum litterarum plurima ſunt, quae ne te lateant, ſedulo curare debeas; ſed ita, ut ſtatim cognita vel chartis mandata libenter obliviſcare, ſaltem diſſimules ea, quae fruſtra collegeris. Si quid autem ab aliis iam dudum collectum repetam, communi materia utar novo modo. Qua in re me admodum ſollicitum habent anguſtiae huius libelli, unde brevitas exſiſtet parum apta talibus rebus, et interdum immodeſtiae ſpeciem habitura. Sed parendum erat neceſſitati, etiam cum incommodo quodam.

pars erit huius Praefationis; posterior in caussis, quibus Homerica emendatio nitatur, gravissimisque et propriis eius legibus atque in ratione consilii nostri reddenda versabitur.

PARS I.

VIII.

Iam primum subeat mirari, cur, quum tam raro in Homero graviora vitia offendant, tantum tamen operae in correctione eius ponendum statuam. Apollonium Rhodium contende, quomodo ante Brunckium legebatur, vel Quinti Smyrnaei etiam nunc mendosissima exemplaria; sane non poterit tot saeculis antiquior vates non et integerrimus videri et emendatissimus. At qualem integrum librum dicimus critico quidem sensu? Haud eum profecto, qui absque offensa legi possit, et in quo nihil sit eleganti consuetudini sermonis et reliquis recte scribendi legibus contrarium. Ut nihil eiusmodi sit in vulgato textu, non continuo pro puro et emendato habendus erit; immo nonnunquam ob id ipsum, si eiusmodi nihil insit, tanto magis germana integritate sua fraudatus esse videatur. Non dubito fore, qui hoc subabsurde dici opinentur. Sed si textum scriptorum veterum supra recte retuli ad *factorum historicorum* spectationem, in eo constituendo nullam speciem pro-

babilitatis ex sensu elegantiae ductam, verum proba et satis antiqua exemplaria principatum habere necesse est. Longe autem aliud est, in optimorum testium fide spectanda leges historiae coniungere cum usu linguae, cum rerum doctrina atque sensu pulchri; aliud, hoc volatico sensu tanquam ventulo impelli, ut, quaecunque lectio venusta et commoda obiiciatur, eandem veram et germanam esse credamus. Saepe enim severiore iudicio, quod a veterrimarum auctoritatum collatione ducendum est, plane efficitur, ea omnes numeros veritatis habere, in quibus maximae offensae sint, alia autem incertae aut nullius fidei esse, quae perquam probabili et festivo sensu niteant.

Quid vero, si ne nitent quidem vulgata, quae antiquiorum librorum consensui adversantur? Sed nolo statim eius generis exempla proferre, qualia iam olim quaedam, satis gravibus de caussis, textu eieci: ut Il. β. 451. ἑκάστου, η. 337. ἐν πεδίῳ, ϑ. 563. (559.) σέλας, κ. 328. βάλε, μ. 343. Αἴαντε, ν. 346. τετεύχατον, ξ. 168. τόν, π. 463. μέν intrusum ante ἀγακλειτόν etc. in quibus factam correctionem Venetus et alii postea collati codices confirmant. Primum potius caussam meam tenebo iis exemplis, quorum vitia non orationis vel sententiae pravitate, sed solis testimoniis et auctoritate librorum arguuntur. Quis enim verbi caussa Il. α. 91. ἐνὶ στρατῷ mutet in Ἀχαιῶν, β. 865. Πυλαιμένεος in Ταλαιμένεος, γ. 220. ζάκοτόν τινα ἔμμεναι in ζάκοτόν τέ τιν' ἔμμεναι, δ. 435. ἀκούσασαι in

ἀκούουσαι, ε. 159. υἱοὺς in υἷας, ζ. 380. et 385. ἐϋπλόκαμοι in ἐϋπλόκαμον, η. 284. Ἕκτορα in Ἕκτορι, (quem verſum duplici errore pervertit Erneſtius,) ϑ. 4. ἅμα in ὑπό, ι. 680. (676.) ἅμ' Ἀργείοισιν in ἐν Ἀργ., κ. 256. νηυσί in νηΐ, λ. 466. αὐτή in φωνή, μ. 9. τῷ κ' οὔτι in τὸ καὶ οὔτι, ν. 791. Πολυφοίτην in Πολυφήτην, ξ. 506. ὑπὸ χλωρὸν δέος εἷλε in ὑπὸ τρόμος ἔλλαβε γυῖα, ο. 510. αὐτοσχεδίην in αὐτοσχεδίῃ, π. 510. αἰνῶς in αὐτόν, ρ. 266. τόσση ἄρα Τρώων ἰαχὴ γένετο in τόσσῃ ἄρα Τρῶες ἰαχῇ ἴσαν, σ. 63. ἴδω τε in ἴδοιμι, τ. 393. ζεύγνυσαν in ζεύγνυον, υ. 308. παῖδες παίδων in παίδων παῖδες, φ. 33. κατακτάμεναι in δαϊζέμεναι, χ. 59. ἐλέαιρε in ἐλέησον, ψ. 362. ἵπποισιν in ἵπποιϊν, ω. 526. ἀχνυμένους in ἀχνυμένοις — quis, inquam, haec et ſimilia multa ita mutare auſit, quum, utra utris praeſtent, ex ipſis vix intelligatur, niſi has mutationes vel Euſtathius et Scholiaſtae, vel ſcriptores Graeci, qui partem illorum verſuum afferunt, vel exemplaria plurima et optima fieri iubeant? Hanc legem ſi valere negaris, negamus viciſſim eſſe quenquam ullius nationis aut aetatis ſcriptorem, qui non probabili coniectura a nobis corrigi eleganter atque interpolari queat.

Interpolatorum quidem verſuum hic modo quatuor ſpecimina dabo, Il. α. 265. β. 168. φ. 480. Odyſſ. β. 191. Horum priores duo apparet bonos eſſe et locis ſuis aptiſſimos, alterum etiam plane Homericum, nimirum repetitum ex principio libri; tertium non minus Homericum, et tam bene

cohaerentem ſtructurae, ut expunctum prope doleas; quartum denique nec numeris malum neque ſententia, ſi modo cum Clarkio refingas δυνήσεται. Sed hi verſus omnes ut vel maxime videantur Homerici eſſe, non tamen ſunt Homeri: niſi forte illius eſt, quidquid 1000 annis poſt fortaſſe aemulo ſpiritu effictum eſſe fide librorum conſtat, aut ſi quos Homeri ſimiles verſus Rhodomannus fecit in Palaeſtina ſua. Nam primus illorum a plerisque probatis libris abeſt, neque eum ullus Schol. nec Euſtathius usquam agnoſcit, ut ſero adſcriptum putes ex Scuto Herc. 182. Alterius nihilo maior auctoritas eſt ab optimis Scholiis et codicibus. Illa enim maximam interpunctionem requirunt inter v. 167. et 169., cuius ἀσύνδετον σύνταξιν, quae nunc exempto medio verſu rudem offendat, ſi veteres Critici duram putaſſent, facile ita lenire potuiſſent, εὗρε δ' ἔπειτα. Tertium iam alii ſummoverunt, quem et Euſtath. et plures boni codd. reiiciunt cum edit. principe et Romana. Neque quarto verſui fides eſt apud Euſtathium et alios libros, qui eum partim habent variatum in clauſula, quae ſcilicet non ſimul trahi poterat ex Il. α. 562. Hos igitur et aliquot alios verſus, etſi minime ineptos, nemo profecto non reiiculos putet, ſi eos nuper Rhodomannus fecerit aut Barneſius, (nam hic interdum aliquid offert οἴκοθεν, ut ait:) at a ſepultis ingeniis abhinc plura ſaecula profectos non licebit reiicere? Diſcere velim, quo iure nobis ceteri retinendi ſint.

IX.

Aliud genus eſt vulgatarum lectionum multo frequentius, quod librorum quidem et recenſionum veterum asſenſu minime careat, nec tamen vel propter uſum huius poëtae, vel propter conformationem et tenorem ſententiae, vel aliam talem cauſam non expellendum et ad meliores libros revocandum videatur. Verum in hoc genere, ſicut etiam in priore illo, dubium facit interdum penuria bonorum fontium, quo lectio quaeque referenda ſit, utrum ad incuriam editorum, an ad codicum, quibus illi uſi ſunt, adeoque ipſorum veterum auctoritatem. Ut vulgata Πιερίῃ β. 766. unde nobis in omnes editt. venerit, ignoro; neque vero ex Hymno in Merc. 70. ſqq. aut aliunde defendere poſſum. Ibi enim non *paſtoris ab Amphryſo*, ſed armentorum diis ſacrorum mentio fit. Plerique autem boni codd.[3]) cum Euſtath. ſervant nomen paene inauditum in geographia, ſed hoc ipſo ad corruptionem pronum, Φηρείῃ ſ. Πηρείῃ, idque haud dubie ex hoc loco praebent Stephanus Byz. et Heſychius pro regione Theſſaliae Pheris vicina. Sed aliarum multo plurium lectionum te-

[3]) Nonnulli eorum, ut Venetus, initium et quaſi omen quoddam depravationis habent, Πηερίῃ. In Scholiis nihil eſt ad h. v., neque in illis vulgatum affertur niſi uno loco ψ. 383. Sed hanc auctoritatem non graviorem, puto, quam Macrobii, habuiſſet Valckenar. quem vide ad Ammon. III, 12.

ſtes exſtant minime obſcuri; quorum tamen nec numerus nec alias ſpectata bonitas fidem facere poteſt iis, quibus eam iſtarum aliqua cauſarum derogat. Qua ex claſſe haec exempla ei, qui Homeri ingenium et conſuetudinem loquendi calluerit, quid velim, uno conſpectu oſtendant: Il. α. 20. λύσαιτε φίλην τὰ δ' ἄποινα δέχεσθε mutatum in λῦσαί τε φ. τά τ' ἄποινα δέχεσθαι, β. 293. ἤν in ὄν, γ. 42. ἐπόψιον in ὑπόψιον, δ. 24. Ἥρη in Ἥρῃ, ε. 227. ἀποβήσομαι in ἐπιβήσομαι, ζ. 51. ἔπειθε in ὄρινε, η. 277. μέσσω in μέσσῳ, θ. 454. τὸ δὲ καὶ τετελεσμένον ἔσται in τὸ δέ κεν τετ. ἦεν, ι. 632. (628.) φόνοιο in φονῆος, κ. 88. εἴσεαι in γνώσεαι, λ. 51. μεθ' ἱππήων in μέγ' ἱππήων, μ. 382. χείρεσιν ἀμφοτέρῃς (ſ. χειρί γε τῇ ἑτέρῃ) φέροι in χείρεσσ' ἀμφοτέρῃς ἔχοι, ν. 485. ἐνὶ θυμῷ in ἐπὶ θυμῷ, ξ. 414. ῥιπῆς in πληγῆς, ο. 379. νόον in κτύπον, π. 732. ἔπεχε in ἔφεπε, ρ. 365. πόνον in φόνον, σ. 531. ἱράων in εἰράων, τ. 19. ἐτάρπετο in τετάρπετο, υ. 35. κέκαστο in κέκασται, φ. 493. ἔπειτα in ὕπαιθα, χ. 326. μεμαώς in μεμαῶτα, ψ. 280. σθένος in κλέος, ω. 793. κασίγνητοι ἑταροί τε in κασίγνηταί θ' ἑταροί τε.

Ex illis nunc a me reiectis lectionibus nonnullae ſatis antiquos et idoneos auctores habent, partim in Scholiis nominatim appellatos. Sed ne dicam, diverſarum lectionum optione data nobis proprii iudicii neceſſitatem imponi; quid eſt, quod nos adigat in verba Criticorum veterum, ubi eos Homero indecora interdum melioribus iam tum receptis praetuliſſe, aut ex importuna coniectura

intulisse reperimus? Ridetur *cor Zenodoti* et *iecur Cratetis;* an Aristarcho ea ubique acies mentis et iudicii fuit, ut ab eo dissentire sit nefas? Auctoritatem profecto non faciunt magna nomina; quibus adeo si ipsius poëtae repugnat ingenium et aliunde exploratus usus, utra maior auctoritas sit, illius an multis saeculis posteriorum Criticorum, per se ne quaerendum quidem vel dubitandum videtur. Utinam modo singulis locis constaret, quid illorum quisque primus invexerit in textum, et qualem eum acceperit a superioribus.

Pertinent huc etiam integri quidam versus, quos vel optimorum exemplarium conspiratio a suspicione interpolationis non defendat. Ex hoc numero infra plures, nunc unum afferam maxime notabilem Il. γ. 731., qui in omnibus adhuc collatis codd. praeter Vindob. CXVII. et, quod maxime mirere, in ipso Veneto offertur sine obelo. Nam sententiam, qua se Polydamas cum Hectore comparat, isto versu illepide ultra propositum trahi, facile sentias. At paullo disertior est nonnunquam Homerus quam sententia postulat, neque ille ex frigidis regulis castigatae eloquentiae iudicandus est. Quid multa? Versum Eustathius suo loco praetermittit; mox ex commentariis veterum narrat, fabricatum esse a Zenodoto Mallote. Cur ergo huic versui plus auctoritatis tribuamus, quam illi Dioscoridis Isocratici, quem Athenaeus I. p. 11. A. affert, post ι. 119., vel ubicunque assueris, incommodo et inepto,

Ἢ οἴνῳ μεθύων, ἤ μ' ἔβλαψαν θεοὶ αὐτοί,

aut Cratetis huic apud Plutarchum de Fac. in orbe Lunae p. 938. D., post ξ. 246. adiecto,

Ἀνδράσιν ἠδὲ θεοῖς· πλείστην ἐπὶ γαῖαν ἵησιν,

aut similibus apud alios conservatis?

X.

Haud scio an his vulgatarum lectionum et sordium exemplis aliquantum de vulgati textus gratia apud homines recti iudicii detraxerim. Exemplis certe hac in re plus efficitur, quam iis, quae de ea gravissime saepe in universum monuerunt viri doctissimi. Probari ista solent, dum leguntur; ubi ad rem praesentem ventum est, redit iners superstitio. Et in Homero quidem ea superstitio magnos patronos habet inter ipsos veteres, ex quibus unus prae ceteris ingeniosus est Lucianus [4]). Is poëtam ipsum apud inferos interrogatum a se de iis versibus, qui subditicii a Criticis haberentur, refert simpliciter respondisse, *omnes suos esse.* Quo responso tametsi perhumanus senex non nisi eos versus agnovisse putandus est, quae ante hoc suum cum Luciano colloquium in ordinem recepti essent, uti Zenodoteum illum, quem idem Lucianus non obscure probat in alio libello [5]): tamen non videmus, quare non eadem opti-

[4]) Verae Hist. II., 20. p. 117.

[5]) De Saltat. 23. p. 282.

ma auctoritate reliquas omnes alienarum manuum adiectiones et lusus et vitia tueamur. Unam hanc quaestiunculam discedenti Homero proponere oblitus est facetus fabulator, quaenam ex tot diversis recensionibus probanda esset ei, qui illum cum apparatu librorum legere, aut ipse de his rebus iudicare non curaret. Nimis enim temerarium esset et inconsideratum, unice eam scripturam, quae suo aevo forte casuque vulgata ferretur, pro recta et genuina habere. Numne hoc aliud est, quam eius, qui inter plures novissimus locutus sit, assentiri sententiae? Ita nimirum qui sentit de scriptis, si vita eius in aliud aevum incidisset, aliam vulgatam comprobandam haberet; quin si textus ab initio prolatus ex iisdem libris esset, quorum fidem sequendam esse negat, magno studio amplecteretur ea, quae nunc spernit ac reiicit.

Neque vero denique quisquam menda librariorum vel typothetarum, quae saeculo suo in vulgatam lectionem irrepserunt, tam sancte conservanda putet. Velut nuper in multis editt. vulgari coeptum est λ. 545. ὁμίλῳ pro ὁμίλου, μ. 340. αὐτά p. αὐτάς, ρ. 750. ἴσχεν p. ἴσχει etc. Hasce leves maculas, credo, abstergi sinunt. Utemur ergo permissu, quando similia se leni correctioni offerent, licet aliquot saeculis antiquiora. Quid autem ea dicam, quae Μουσοπνευστίαν illam manifeste produnt humana negligentia et inscitia vitiatam, barbarismis et soloecismis, iisque depravationibus sententiae et orationis, quas nemo in ullo

scriptore, nedum in hoc omnium principe, aequo animo ferat? Huius quoque notae pauca subiiciam, et talia maxime, quae exiguo ductu calami ad praestantiorum librorum nutum refingi poterant. Nam ε. 416. ἰχῶρ abiecta una littera praebet verissimam scripturam ἰχῶ, quam Eustath. doctissimo cuique olim placuisse tradit, ad modum formarum, ἱδρῶ, κυκεῶ et similium. Illam enim vulgatam nemini unquam neutro genere adhibitam esse, centena loca medicorum docent; neque id voluerunt ii, a quibus eam accepimus, ad quorum mentem utique apostrophus addendus fuerat. Sed hoc vitium iam Barnesius sustulit. In eodem libro v. 394. idem ex codd. suis corrigere debebat ineptum κεν. Quo admisso sententia prave imitatur hypothesin versus 388, quum potius eiusdem generis sit ac proxima v. 395. sqq. Est enim haec, τλῆ Ἥρη, ὅτε μιν κρατερὸς παῖς Ἀ. οἰστῷ βαλὼν ὀδύνῃσιν ἔδωκεν. Alibi contra particula κε oblitterata constructionem corruperat, ut ρ. 629. Simile ex una litterula vitium est ζ. extr. ἐλάσαντες, nominativo nihil habente, unde pendeat. Durissimum sit, eum retrahere ad ἀρεσσόμεθα, vel ex seqq. αἴ κέ ποθι Ζεὺς δῴη, spectato solo sensu, aliquod verbum primae personae exprimere. Harum grammaticarum venerum exempla adhuc quaero apud Homerum praeter ea, quae ipsa suspecta sunt; ut Odyss. δ. 263, ubi aliquot codicum optimam scripturam νοσφισσαμένην etiam ex veteribus affert Eustathius, mutatam, opinor, ab iis, quos cumulati iidem

caſus diverſi generis offenderent, tanquam Il. χ. 109. Vix enim veterum aliquis vulgatam vulgari modo accipere potuit. K. 57. legunt vulgo κείνου γάρ κε μάλιστα πυθοίατο, in quo πυθέσθαι putant eſſe *obedire.* Quod quum ne Gloſſographi quidem nobis obtrudant, uno certe exemplo probandum erat. Euſtathius, quid in libris ſuis legerit, quaerentem fruſtratur moleſto illo καὶ ἑξῆς. Enimvero, ſi ita legiſſet, tam inauditam ſignificationem non omiſſurus, aut alibi ad eam rediturus fuiſſet; id quod nullo facit loco. Nam etſi p. 1013. l. 55. ad ο. 224. πυθέσθαι cum genitivo conſtructum ita notat, ut et alibi de eo genere monuiſſe ſignificet, id non pertinet ad vim *obediendi,* ſed *cognoſcendi* ſeu *audiendi,* de qua ſane dixerat p. 655. l. 42. Igitur etiam Euſtathius correctionis noſtrae auctoribus addendus eſt. Clarius idem confirmat noſtram lectionem λ. 11., ubi in vulgata verbum αὔειν cum dativo iungebatur. Id in ſimilibus, γεγωνεῖν, κέκλεσθαι, κελεύειν ſolitum, an in illo quoque uſitatum ſit, vehementer dubito; Homero autem uſitatum non eſſe video. Neque hac una inſolentia laborare verſum, numeris aſſuetae aures docent. Ex alio genere falſae analogiae forma erat ν. 485., hinc in indices dialectorum relata, γεγενοίμεθα. Nos, et uſu et ſententia poſcente, ex pluribus codd. dedimus γε γενοίμεθα. Scilicet codices nobis exſpectandi erant maiore numero, ut ineptiſſimas ſcripturas et maxime proclives lapſus nonnullorum librariorum corrigeremus, ut π. 380. ἀνά in ἄρα,

σ. 405. ἔσαν in ἴσαν, υ. 409. πᾶσι in παισί mutaremus. Adde his facillimam et late patentem confuſionem modorum, in primis ſubiunctivi et optativi, quorum legitimum diſcrimen ipſi Graeculi poſtremorum ſaeculorum parum recte tenuerunt. Notavi quidem mihi ad quindecim exempla huius confuſionis, quibus ad regulam corrigendis et metrum et libri omnes obſtent: at in longe plurimis non eſt dubium, quin antiquiores libri cum grammaticis et metricis regulis congruentes ſequendi ſint. Saltem id, quod vulgo fit ſaepiſſime, ut conſequentia modorum perturbetur in iunctura aequalium membrorum, vel ut particulae ἄν ſ. κε addatur indicativus inſtanti tempore, nemo niſi indoctus propagatum velit, praeſertim in tanta, quae multis pro ratione eſt, mutandi facilitate.

XI.

Atque haec ex magno numero non ſtudioſe excerpta ſpecimina vulgaris textus emendati, et quae non ingenium, ſed meliores libri ſuggerebant, cuivis perſuadeant, purioribus fontibus adeundis veram formam Homericae ſcripturae revocari hodieque poſſe. Neque hanc ſpem eripit nobis longinqua vatis vetuſtas. Nam falſa eſt eorum opinio, qui ſola longinquitate temporis vel univerſae hiſtoriae fidem infringi, vel ſcriptorum corrumpi integritatem, et, ut quidque noviſſime geſtum ſit aut ſcriptum, ita veriſſimum maximeque genuinum habendum putant. De rebus geſtis dicere omitto:

tempus ac dies optime dedocet credulos de iis ipſis, quae propemodum ſuis oculis geri viderunt. Scripta autem quum nihil vitii trahant, loco a blattis et tineis tuto condita in ſcriniis; quid obſtat, ne, ſi diligens et non nimis frequens deſcriptio adhibeatur, etiam amiſſis autographis longiſſimas aetates durent ſine maiore noxa? Eius vero generis mendorum, quod ex crebra et indiligenti deſcriptione ſubnaſci ſolet, remedium paratum eſt in critica arte, codices diverſarum manuum inter ſe comparante. Sed bonae huic fortunae ſcriptorum plerorumque omnium anne confidere licebit in Homericis?

Licebit haud dubie, niſi haec proprias quasdam depravationes multoque plures et graviores viciſſitudines experta ſunt. Verum ſi vel ex ea re, quod emendatio illorum maturiſſime apud Graecos nata eſt et celebrata, intelligitur, ipſos iam antiquitus caruiſſe ſatis genuinis exemplaribus, unde, qui vellent, nova exſcriberent; ſi primae ſtatim recenſiones, artis criticae nondum cultae meditamenta, mire inter ſe discreparunt plurimis rebus, vulgatamque in eruditiore Graecia conformationem textus demum poſt Ariſtotelem aliquot Grammatici introduxerunt; nos autem ne illius quidem textus, quem diu maxime antiquitas probavit, Ariſtarchei exemplum habemus integrum, ſed proximis a Chr. nato aetatibus denuo recognitum et ad variorum Criticorum iudicia refictum, poſtremo novis maculis per ingruentia

barbara ſaecula adſperſum: nonne ex his rebus colligendum eſt, quod iam olim confidenter dixi [6]), multo aliam Lucretii vel Virgilii atque Homeri eſſe integritatem? De diverſa autem priſcarum illarum et Alexandrinarum editionum conditione nunc id unum tangere ſufficit, quod apud Hippocratem, Platonem, Ariſtotelem et alios iſtius aetatis ſcriptores non ſolum ſingulorum verborum varietates, ſed etiam plures inſignes verſus legimus, quorum nec in textu noſtro, nec in Euſtathio veterrimisque et doctiſſimis Scholiis ullum indicium ſupereſt [7]). Atque hactenus facilem asſenſum videor

[6]) Ad Heſiodi Theog. p. 57.

[7]) In libro περὶ ἄρθρων, qui niſi Hippocratis, Hippocrateae certe aut proximae aetatis eſt, attingitur T. I. p. 785. Foëſ. longior ῥῆσις Homeri de bubus, uno poſito hoc verſu: Ὡς δ' ὁπότ' ἀσπάσιον ἔαρ ἤλυθε βουσὶν ἕλιξιν. Cuius nihil ſimile hodie usquam apud illum legimus. Notior res eſt de verſibus, quos Plato et Ariſtoteles ex Homero ſuo laudant, non noſtro. In iis adeo ſunt, quibus nemo nunc aptum locum coniectura asſequatur. At illis quatuor, a Platone Alcib. II. allatis, in Il. ϑ. extr. ſuam ſedem inventam, neque ex variis locis collectos eſſe, pro explorato habeo. Quare eos ibi inſerui, non tamen ſine uncis, quia probabili de cauſa ab Alexandrinis Criticis una cum vulgato v. 548. reiectos cenſebam. Illorum autem et ſimilium verſuum, qui a ſcriptoribus Graecis paſſim Homero tribuuntur, nullum apparet veſtigium in Scholiis noſtris. At haec omnino huius generis prope nul-

mihi habiturus omnium, qui oculis ſuis credere didicerunt. At vero, ſi nonnullorum probabilis

lum proferunt aliunde incognitum; multo plures Euſtathius habet, et quorum rurſus ſcriptores non meminerunt. Hoc reputans, quantumvis rudis in hiſtoria textus, vix ſuſpicetur, memoriam fefelliſſe eos omnes, qui tales verſus Homeri nomine laudarent, aut male a nobis ad Iliada et Odyſſeam referri, quae forſan olim in aliis huic poëtae tributis operibus legerentur. Ita Barneſius hemiſtichium illud ap. Aeſchinem in Timarch. p. 141. Reisk. Φήμη δ' ἐς στρατὸν ἦλθε, temere an divinando, Thebaidi adſcribit, etſi id diſerte traditur in *Homeri Iliade* eſſe, atque adeo *ſaepe repeti in Iliade*. Ego aliquando Iliadem parvam ſignificari putabam. Nempe in neutro Carmine noſtro nunc talis verſus usquam aut ſententia eſt. Nec vero quidquam eſt in verbis Oratoris, quod labem redoleat. Nam tentanda ſunt omnia, ne aut Aeſchinem tam obliviοſum vel litterarum expertem, aut tantam mutationem multorum locorum in Homero factam credamus. Sed quod hemiſtichii illius nemo veterum Intpp. meminit, non Euſtathius, non ullus Scholiaſtarum, id quidem minus mirum videtur. Carent illi etiam inſignibus verſibus, quos duobus locis Plutarchus docet ab Alexandrinis expunctos eſſe in oratione Phoenicis ι. 458. ſqq., repoſitos a me aliorum exemplo et iudicio Valckenarii Diatr. in Euripidis Reliqq. p. 264. Ceterum ex his omnibus apparet, quam vere iam dudum Giphanius ſenſerit, textus, quo Alexander M. uſus ſit, exemplum in noſtro non supereſſe. Id ex uno Ariſtotele intelligi licebat.

eſt ſuſpicio, haec et reliqua Carmina illorum temporum nullis litterarum mandata notis, ſed primum a poëtis memoriter facta et cantu edita, tum per rhapſodos, in iis ediſcendis propria arte occupatos, canendo divulgata eſſe; ex quo, antequam ſcripto velut figerentur, plura in iis vel conſilio vel caſu immutari neceſſe eſſet; ſi hanc ipſam ob cauſam, ſtatim ut ſcribi coepta ſunt, multas diverſitates habuerunt, mox novas ſubinde adſciverunt temeritate et coniecturis eorum, qui ea certatim expolire, et ad optimas leges poëticae artis ad ſuamque conſuetudinem loquendi corrigere ſtudebant; ſi denique totum hunc contextum ac ſeriem duorum perpetuorum Carminum non tam eius, cui eam tribuere conſuevimus, ingenio, quam ſollertiae politioris aevi et multorum coniunctis ſtudiis deberi, neque adeo ipſas ἀοιδάς, ex quibus Ilias et Odyſſea compoſitae ſunt, unum omnes auctorem habere, veriſimilibus argumentis et rationibus effici poteſt; ſi, inquam, aliter de his omnibus, ac vulgo fit, exiſtimandum eſt: quid tum erit, his Carminibus priſtinum nitorem et germanam formam ſuam reſtituere?

Paucis verbis ſignificavi ea, de quibus paullo poſt et accuratius alio loco diſſeram. Quoniam enim video, in his mihi antiquitatis paene omnis firmatam opinionem convellendam eſſe, quo incorruptius meae rationes ponderentur, nunc duntaxat potiora momenta earum ſummatim et ſuſpenſa manu tractabo. Quae quum intellexero eruditis

non placere, id eſt contrariis momentis et rationibus elevari, haec primus ipſe retractabo, τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώλια θεῖεν. Nam et nihil in his litteris, quod contra communem opinionem ſit, expaveſcendum puto eſſe veri ſtudioſo, et, ubi hiſtoria tacet vel muſſitat, facillime cuique patiendum ſe vinci ab iis, qui obſcuram famam et incerta rerum traditarum veſtigia verſutiore acumine interpretari ſciant. In hac enim prima aetate, in qua Homerici textus origines quaerendae ſunt, vix tenue lumen habemus; quo tamen aut perite utendum, aut pleraque inſecutis temporibus facta perperam exiſtimari neceſſe eſt.

XII.

Ipſum ingreſſum obſtruit nobis propoſita nuper vel potius renovata graviſſima quaeſtio de primis initiis ſcribendi apud Graecos. Sed hanc quidem ut minore offenſione repetam et, ſi potero, profligem, in primis Woodii [8]) ingenioſa audacia

[8]) In celebratiſſimo libro: *An Eſſay on the original Genius of Homer*, ſec. edit. 1775. capite eo, quod eſt de oratione et doctrina poëtae. Ibi, ut in toto libro, plura ſunt ſcite et egregie animadverſa, niſi quod ſubtilitas fere deeſt, ſine qua hiſtorica diſputatio perſuadet, non fidem facit. Igitur illud caput potiſſimum nuper a pluribus viris doctis reprehendi et vulgarem opinionem adiuvari vidimus, ſingulari ſtudio a Wiedeburgio Humaniſt. Magaz. T. I.

fecit. Nam ſi proavi noſtri ſerio dubitatum audiſſent, num princeps ſcriptorum Homerus ſcriptoria arte uſus eſſet, amatoribus παραδόξων nullum pudorem ſupereſſe clamaviſſent. Iam ingenia vetuſtorum monumentorum altius inſpicere coepimus, ſervataque ſeveriſſima lege hiſtoriae, ut nec vera et incorruptis teſtibus firmata in dubium vocemus, nec quoquo modo relata aut cuiusvis auctoris nomine ornata pro compertis habeamus,

p. 143. ſqq. et Harleſio Bibl. Gr. Fabric. T. I. p. 353. Quorum iudicio non praetulerim eorum levitatem, qui ingenioſi Angli ſententiam, ſeu, ut ipſe dicit, coniecturam ſimpliciter repetierunt, vel in eam ablati ſunt propriis erroribus, tanquam auctor libelli: *Conjectural Obſervations on the Origin and Progreſs of alphabetic writing* p. 99. Quanquam hic artem ſcribendi tantum heroum Homericorum ſaeculo, non Homero ereptum ibat; ille eam tandem circ. 554. a. Chr. vulgatiorem factam eſſe putabat. Docte autem atque eleganter Woodii argumenta percenſuit ac novo acumine defendit philoſophus litterator, Merianus, in Diſſertatione Gallicis ſcriptis Academiae Berolinenſis praeterito anno inſerta, quae mihi, hanc plagulam ad typographum miſſuro, commode ab amico offertur. Ea raptim lecta peropportune me impulit, ut rationes meas magis adſtringerem et in breve cogerem, pluraque penitus delerem, quae in eandem ſententiam diſputaveram. Eruditis enim haec ſcribuntur, qui et illum legent, et apud quos ſingulis momentis amplificandis non multum proficitur in tali re.

unamquamque rem ex temporis ac loci fui rationibus et moribus iudicare. Ita etiam haec Carmina paullo diligentius cognita admirandam oftendunt vim naturae atque ingenii, minorem artis, nullam reconditae doctrinae et exquifitae. Quamvis enim hebeti fenfu furdisque auribus fit, qui artem in iis nullam fentiat, utpote quam ne in verfuum quidem numeris doctiffimi imitatores asfequi potuerint; omnem tamen artem illam naturae quodammodo propiorem effe apparet, neque ex difciplinae cuiusdam formula perfcripta libris, fed ex nativo fenfu recti et venufti delibatam. In hoc et aliis vates ille tantum diftat a filveftrium coetuum cantoribus, quantum a poëtis eruditarum aetatum [9]). Qua quidem rectiore exiftimatione

[9]) Ipfum hoc nomen *poëtae*, ignotum olim ἀοιδοῖς, vim habet *operofioris laboris*. De vulgari ufu nominis libenter accipimus notationem Platonis Sympof. p. 205. C. Steph., multum praeferendam illi, ex qua nuper Francogalli quidam poëticae naturam docebant. Vocabulum vero pofterius videtur ipfo Hefiodo, nec ante receptum, quam mufica ab arte pangendi carminis vulgo divelli coepiffet. Qua de re alibi quaeram. Sed Hefiodum quum dico, omne illud tempus intelligo, in quod Hefiodeorum quae nunc feruntur operum confectio incidit. Non uni enim illa tribuenda effe patet; et multo plura nomine eius ferebantur apud veteres. In Ἔργοις loci funt multi πίνῳ venerandae vetuftatis fignati. Theogonia autem et Scutum Herc. et maxima pars eorum, quorum brevia fragmenta fuperfunt, Homerum toto certe faeculo fubfequuntur. Huius rei argumento eft, quod in iis plures notiones novae exftant et imitationes locorum Homericorum, in primis terrarum et populorum auctior et explicatior notitia.

velut fuo loco repofitus, et multis exutus impedimentis, quibus eum docti olim honoris caufa oneraverant, qui optimum auctorem pulcherrimae artis nollent quidquam nefcire, quod fuo ipforum aevo ad cultum artium et munditiem civilis vitae referretur, apud gnaros rerum et intelligentes novo decore et gratia effloruit.

Neutiquam apud omnes, aiunt aliqui; et facile credimus. Nondum enim prorfus eiecta et explofa eft eorum ratio, qui Homerum et Callimachum et Virgilium et Nonnum et Miltonum eodem animo legunt, nec, quid uniuscuiusque aetas ferat, expendere legendo et computare laborant. Reimmannorum quidem nugas rident ifti, fed iidem aegerrime ferunt, deum poëtarum rudem fuiffe credi in ipfis elementis doctrinarum, quas qui noftro tempore prope cunctas complectuntur, Iliadas tamen pangere non audent. Tantone ingenio ut denique cum ipfis illis elementis adimantur ea,

Quae nunc fuspenfi pueri inftrumenta lacerto
Ludos incedunt!

Sed nolo irridere eos, quos dedocere hoc loco

alienum eſt et parum modeſtum. Nam ſunt in iis homines Graece Latineque doctiſſimi. At illud mihi concedi puto a plerisque, in ſcientia linguae Graecae non omne praeſidium ineſſe ad Carmina ultimae vetuſtatis ex indole et ingenio auctorum intelligenda. Atque hac intelligentia qui carent, eos iure meo reiicio iudices in his omnibus, quae de ratione illorum temporum dicturus ſum. Ceterum mihi, ſpero, minus ſuccenſebunt, ab Homero non tam cognitionem litterarum quam uſum et facultatem abiudicanti. Eſt in ea re quiddam, quod ad novam laudem trahant. Nimirum tanto magis admiramur veteres navigatores, quod illos curſus ſuos regere potuerunt ſine pyxide nautica; nec forſitan omni militi hodie credibile ſit, ante pulveris nitrati inventionem Alexandrum vel Caeſarem tantas res egiſſe, tot munitiſſimas urbes cepiſſe. Attamen habuerunt illi, quod pulveris nitrati vicem ſatis valide expleret. Quanto admirabilius erit fuiſſe poëtam, qui eam artem, ſine qua nullum paullo longius Carmen videatur confieri poſſe, quum cognita eſſet, ne diſcendam quidem ſibi nec neceſſariam duxerit!

Etenim, ut ſerio rem aggrediar, in Woodii argumentis multa ſunt infirma, multa cupide quaeſita. Philoſophorum etiam ad Socratem usque apud veteres pauca ſcripta conſtitiſſe ait; in ipſo Homero memoriam ferri unicam cuſtodem rerum; eandem Muſarum matrem; ipſas Muſas cantrices. Quaſi vero vati licuiſſet fabulas refingere ſemel re-

ceptas firmatasque, aut poſtea quisquam eorum, qui papyro et calamo uſi ſunt, pro Mnemoſyne novam papyriferam deam in Carmen induxiſſet. Manent talia, etſi res et mores mutantur; quemadmodum in linguis verba manent, ſignificationes flectuntur ad temporum et rerum viciſſitudines. Verbo πεμπάζειν quum utitur Apollonius Rhodius (II, 975.), hunc nemo ſane credat quinque digitis numeraſſe; ne Homerum quidem, qui id vocabulum prior adhibuit. Nam τῇ κατὰ δεκάδα ἀριθμήσει uſus usque ad 10,000 numerat, et exercitum Graecum ferme 100,000 hominum recenſet. Contrarius, ſed eiusdem loci error eſſet, ſi quis ex moribus ſuae aetatis εὐνομίην Homeri vel ipſum νόμον Heſiodi ad ſcriptas leges, ſive ὥρην ad hanc noſtram diviſionem diei referret, ſeu, quod nunc maxime agimus, ex verbo γράφειν aut nomine σῆμα [10]) ſcriptoriam artem iam tum, quum illa in

[10]) Conſtat verbum γράφειν, ut χαράσσειν et ſimilia, ex numero factitiorum (ὀνοματοπεποιημένων) eſſe, et proprie *fodiendi* ſ. *ſcalpendi* ſignificationem habere. Schol. Theocrit. VI, 18. Γράψαι τὸ ξέσαι οἱ παλαιοὶ ἔλεγον. Heſych. Γράψαι· ξύσαι, χαράξαι, ἀμύξαι. Hic uſus manifeſto deprehenditur in his locis omnibus, Il. δ. 139. λ. 388. ν. 553. ρ. 599. φ. 166. Odyſſ. χ. 280. ω. 228. Etiam in noſtris linguis verbum *ſcribendi* ſcabritiem ſcalpri fabrilis ſimilisve inſtrumenti ſonat. Neque illud Graecum ſignificationem *pingendi* habet apud Homerum. Σημάτων autem ſive σημείων, quatenus ita vocantur ſiglae et

usu essent, vulgatam fuisse colligeret. Hoc vago genere sermonis non est ita abutendum in scrutanda potestate vocabulorum, quorum cuique sua quaedam historia est, quae non ex ipsis vocibus et locutionibus, sed ex temporum et morum aliunde cognita conditione pendet. Illae quidem talem quaestionem ad exitum non adducunt.

XIII.

In hac dubitatione si auctoritatem veterum requiras, tenebrae occurrunt communes plerisque celeberrimarum artium originibus. Quota enim quaeque ars est, vel ex iis, quae nuper i. e. ante aliquot saecula repertae sunt, cuius initia et incrementa a bonis auctoribus testata legamus? Atqui multo plura vetus illa aetas nasci vidit paullatimque vigescere, quorum tenuia primordia pauci observarent, utilitatem apud posteros nemo curaret. Sero autem gens adulta respexit incunabula sua, quum memoria primarum inventionum longo intervallo obscurata ac dissoni rumores variis opinionibus et novis fabulis locum praeberent, nec adhiberetur ab historicis haec sollertia philosophandi, qua nos ingenii humani in rebus inveniendis progressus et mensuram indagavimus, post-

alia compendia scribendi, prima vestigia ostendit aetas Sophistarum; in prioribus temporibus ea inepte quaesieris. Vide Lipsii Epist. ad Belgas I, 27.

quam orbem terrae latius circumspicere, atque plurium populorum, simili cultu vitae utentium, habitus et consuetudines comparare didicimus. Quippe nova haec lux est nostrorum temporum, Graecis negata aut incuriose habita.

Sed commodis huius lucis perpaucos eorum frui vidimus, qui erudite loca veterum de auctoribus alphabeti Graeci collegerunt. Quo factum est, ut multis de rebus inter se dissentirent viri gravissimi, et partim sententias parum probabiles sequerentur. Nam post principes vulgaris sententiae, Scaligerum et Salmasium, non defuerunt, qui etiam aliquanto ante Cadmum Pelasgorum cascis gregibus tam necessariam, ut putabant, artem tribuerent; eaque opinio nunc quoque multis probatur et eximiis viris [11]). Maxime autem vulgo falluntur in eo, quod, quo tempore primum litteras Graecis allatas memorari vident, eodem tempore simul usum earum omnes Graeciae fines pervagatum esse, et libris scribendis occasionem

[11]) Boherio in Dissert. subiuncta Montefalconii Palaeographiae Gr., Wesselingio ad Diod. Sic. T. I. p. 236, Swintono, Jacksono, Biancono, Monboddo, Astleo, Larchero, aliis. Quanquam ne veteribus quidem haec opinio ignota fuit, in quibus tamen nullus auctor est gravis et idoneus, qui incolas Graeciae Cadmo priores litteris vel alia ulla pictura vocum usos prodiderit. De singulis auctoribus et fabulis exponere non est instituti mei.

dedisse existimant; de mutationibus et gradibus, per quos tale inventum ab initiis suis deducendum fuit, quaerere negligunt. Itaque de vatibus illis, quos diu ante se plures fuisse ipse Homerus perhibet, ne quaerendum quidem putant, an utilissima arte uti voluerint, si iam tum reperta erat. Quem errorem auxerunt fabulae rudium quorundam in ipsa sua antiquitate scriptorum Graecorum. Celebrantur enim magna volumina Carminum, immo, si Musis placet, prosae eloquentiae, item leges et instituta, tanquam primis temporibus scripta: cui fraudi in illa ἀκρισίᾳ veterum etiam doctissimi homines sese faciles praebebant [12]).

[12]) Loquor potissimum de temporibus liberae Graeciae, quum longe alia studiorum conditio esset, quam quae deinde successit inducta πολυμαθείᾳ Alexandrina. Illi superiores, in foro, non in secretis litterariis viventes, falsarum tabularum et suppositorum testamentorum fraudibus odorandis occupatissimi erant, suppositorum librorum curam fere omittebant. Nam quae ex hoc genere prodierant scripta, in iis non tam illud quaerebant, an eorum essent, quibus vulgo tribuerentur, quam quid utile et lectu dignum ferrent. Ut Demostheni Orat. I. in Aristog., si tamen illa Demosthenis est, sententiam quandam nomine Orphei excitare licuit ex Hymno, qui fortasse duobus saeculis ante se scriptus erat. Itaque Ciceroni et aliis, quum veterum librorum auctores nominant, non tantum tribuendum est, quantum plerique nostrorum hominum faciunt, nisi ubi illi rem accurate se explorasse aut sagacium Criticorum iudicia sequi affirmant. Quam leviter autem hoc omne genus a doctissimis viris olim tractatum, et quantum in facillimis huiusmodi quaestionibus erratum sit, ipsorum veterum plures inde a Dionysio Halic. docent, certiusque constaret de ea re, si πίνακες et alii critici libelli Alexandrinorum superessent. A quibus moniti posthac optimi scriptores saepe dubitationes interponere solent de auctoritate librorum, quorum locis et testimoniis utuntur. Sed faciunt id rarissime ea cura, qua nunc in his rebus opus esse censemus. Quidam etiam simpliciter et nulla suspicione indicata afferunt veteres libros, quorum fraudes iam dudum patefactas aequaevi testantur. Quin etiam sunt, qui libros passim vulgaribus titulis et nominibus afferant, quae iidem alibi, nonnunquam in iisdem scriptis, ut errores vulgi ex industria arguunt.

Adeo nihil est in his, quod colorari non possit ratiunculis quibusdam et simulacris probabilitatis, si modo temporum rationes et auctorum fidem ad libitum et ingenium tuum fingas. *Mirum est*, inquit Plinius, *quo procedat Graeca credulitas: nullum tam impudens mendacium est, quod teste careat.*

XIV.

Non placet historia tali modo ementita. Igitur mittamus falsi Herodoti Phemium, Diodori et aliorum Pronapiden, commenticios Homeri γραμματοδιδασκάλους, cum ludis suis librisque, et ea

expromamus, quae nos adducant et prope cogant, ut, etiamsi litterae ante Homerum in Graeciam importatae essent omnes, tamen facultatem et usum earum usque ad initia Olympiadum fere nullum fuisse credamus. Huius rei causa nobis haerendum non erit in occultis primordiis inconditae artis, quae longam disputationem poscunt, a Phoenicum, Aegyptiorum, Hebraeorum, Latinorum litteris non seiungendam. Sed ex hisce populis eum, quem primo loco nominavi, rem vel apud se inventam vidisse, vel ita excoluisse et ad alios populos, nominatim Graecos, pertulisse, ut auctor eius dici et haberi posset, tum admodum constans fama, tum ipsa figura litterarum Graecarum vincit. Quo tempore autem illa tria facta sint, incertissimum est propter tam multa ludibria fabularum. Teneremus aliquid, nisi vetusti illi scriptores Phoenicum ad Phemios et Pronapidas ablegandi essent, aut si ullo auctore constaret, quando haec gens et cui rerum generi scripturam adhibere coeperit. Verum huiusmodi nullum usquam exstat vestigium, ac ne in commerciis quidem et mercatura adhibitae a Phoenicibus artis suae mentio fit. Hoc qui mecum miratus, tot alia indicia tardioris culturae litterarum perpendat, forsitan statim in hanc concedet sententiam, ut, quidquid a nonnullis de vetustate frequentati usus earum narratur, tanquam commentum Graecorum Graeca fide censendum esse arbitretur.

Improba semper huic genti cupido fuit clarissima quaeque instituta ex ultimis temporibus repetendi, et tantum non omnium rerum, quibus serior humanitas constabat, utilitatem inventioni heroum suorum consecrandi. Id tum aliarum multarum tum huius quoque artis primos cultores obscuravit. Nam sicut Atlanti, Cepheo et multis illorum aequalibus notitiam siderum tribuerunt, antiquam famam detorquendo, sic poëtae videntur pluribus, quos ab scientia utilissimarum rerum laudari audissent, aut quorum merita in humanum genus extollere vellent, praeclarae huius artis seu inventae seu insigniter emendatae percultaeque laudem tribuisse. Ita, quum illos progressus non distinguerent, Aeschylus rem Prometheo suo, alii Cecropi, alii Orpheo, alii Lino, plerique Cadmo, nonnulli Palamedi assignaverunt [13]. Haec dissi-

[13]) Sic Euripides in nobili Fragm. Palamedis ap. Stobaeum Florileg. T. LXXXI. Nam de sensu horum versuum, item de Aeschyli loco Prom. 459., dissentiendum putavi ab opinione Hemsterhusii ad Lucian. T. I. p. 88. poëtarum sermonem nimium prementis. Accedit, quod nec Tacitus gravissimo loco Ann. XI, 14., nec Hyginus, nec Dio Chrysostomus, Palamedi eandem inventionem tribuentes, ex uno Euripide id sumpsisse videri possunt. Omitto Declamatores duos in Oratt. Gr. Reisk. T. VIII. p. 74. et 118., etsi illi antiquos rumores in argumentis suis secuti sunt. Ab his omnibus Palamedes non paucarum quarundam litterarum, sed universi inventi auctor perhibetur.

dia poftea hiftorici et litteratores non aequius tollere fe poffe putarunt, quam fi eam gloriam quodammodo partirentur inter omnes. In quo unum mihi maxime dignum notatu videtur, quod Euripides toto invento ad Palamedem transferendo communi iudicio Attici theatri infolenter illufiffet, fi iam tum de antiquiore cultu artis et Cadmi munere conftitiffet. Neque Euripides illud facere potuit primus; nec fingebant ita Tragici. Iam vero fi oblitteratas iftas fabulas iure ad poëtas auctores reiicimus, ecquid accurati iudicii eft, uni earum, ex iisdem fontibus ductae, ideo quia ceteris celebratior eft, addicere credulitatem?

At magnum auctorem habet munus Cadmi Herodotum. Video; et alium addam non minorem, certe paullo antiquiorem: nec propterea defino dubitare, num magnam auctoritatem ipfa fabula feu fama habeat. Nam temerarium puto, in tanta auctorum disfenfione, uni aut paucis asfentiri, praefertim in re, quae quum vulgo recte Phoenicibus accepta ferretur, facillime a Phoenice, clariffimae in Graecia coloniae conditore, nomen adoptare potuerit. Alter quidem auctorum illorum Dionyfius Milefius eft, fcriptor hiftoriae mythicae [14]). Non id affero, quod eum fpernam propter hanc materiem fcribendi: neque adeo poëtas fperno, ex quibus is totus pendebat: attamen illud non asfequor, cur a nobis, veritatem, non Φοινικικὰ ψεύδη [15]) quaerentibus, in hoc genere locupletior teftis, quam in ceteris, quae narravit, haberi debeat. Sed locum eius nobis Diodorus transmifit; Herodotum ipfum legimus. Enimvero hic veri amantiffimus pariter et fictorum cupidus narrator hoc quoque loco tenet morem fuum, quum fe non certam et vulgo creditam rem, fed famam quandam fibi probatam afferre fignificat [16]).

[14]) In magno opere, Κύκλῳ, cuius loci faepe laudantur a Grammaticis; is, quo hic utimur, a Diodoro Sic. III, 66.

[15]) Locutio proverbialis eft apud Euftath. ad Odyff. p. 1757. de miris et incredibilibus.

[16]) V. 58. Οἱ Φοίνικες οἱ σὺν Κάδμῳ ἀπικόμενοι — ἄλλα τε πολλὰ, οἰκήσαντες ταύτην τὴν χώρην, ἐσήγαγον διδασκάλια ἐς τοὺς Ἕλληνας, καὶ δὴ καὶ γράμματα, οὐκ ἐόντα πρὶν Ἕλλησι, ὡς ἐμοὶ δοκέειν κ. τ. λ. Ex his clarum eft, Herodotum diiudicare inter eos, qui rem Cadmo antiquiorem putabant, et inter eos, qui ab illo putabant invectam. Sed in eandem hanc pofteriorem opinionem Herodotum trahit Larcherus, aliquot tantum litteras a Cadmo invectas tradi putans propter articulum omiffum ante γράμματα. Quod a diligentiffimo viro dictum nollem. Nam legitima ifta eft omiffio in eo fenfu, quem fequimur; illum, qui Larchero placet, inferret demum adiectio articuli. Taceo, quantum turbaretur reliqua narratio, fi in ea de paucis quibusdam litteris ageretur. Herodoti fententiam deinde plerique probarunt, quorum rationes in occulto funt, nomina et loca cumulare nihil attinet. Ac paene omnes pofterioris funt aetatis: ex deperditis fuperioribus fi unum ha-

Non potuiſſet magis ingenue; neque par putanda eſt culpa eorum, qui talem rumorem pro certo amplexi ſunt, atque ipſius hiſtorici, ſi hunc forte ratio fefellit, quod illi et alibi accidit, et in nota ſententia de Homero et Heſiodo, primis conditoribus theogoniae Graecae [17]). Itaque ipſe Herodotus cavet, ne cui mythicam rem pro comperta habere libeat. Pluribus autem id agere poſſem, prolatis ſimilibus exemplis fabularum, ut celebre nomen Cadmi temere ad Phoeniciam inventionem traductum arguerem. Sed quid hoc noſtra refert? Ut Cadmus invexerit litteras, ut barbaris Boeotiae

beremus Ephori exceſſum hiſtoricum hac de re proprie ſcriptum, cuius auctoritate in Cadmo ornando utitur Clemens Alex. Strom. I. p. 306. D. Pariſ., fortaſſe plura commenta nobis refellenda eſſent. Ceterum haud ſcio an temere cum Herodoto coniungantur ii ſcriptores, qui Phoeniciam originem artis, non invectorem Cadmum tradunt. Huc, niſi fallor, pertinuit locus Sophocl. in Paſtoribus, quem tangit Heſych. v. Φοινικίοις, qui mox ipſe hoc habet: Λυδοὶ καὶ Ἴωνες τὰ γράμματα ἀπὸ Φοίνικός τινος (ἔλαβον).

17) II, 53. Perperam ibi Weſſel. verba, οὗτοί εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, ſic accipit, ut illi duo primi *verſibus expoſuiſſe* theogoniam, non *condidiſſe* dicantur. Sane ita ponitur ποιεῖν; ſed dativus in hac ſignificatione verbi additus luce exemplorum egebat, qualia mihi quidem incognita ſunt. Etiam Athenagoras cum vulgo ſentit in Apol. pro Chr. p. 129., laudato illo loco et in ſententiam ſuam verſo.

ſtupendam artem oſtenderit; docilitatem largimur iis et otium: quamvis Amphion, integro ſaeculo poſterior, qui Thebanae arci aedificandae lapides cantu moviſſe fertur, edicto commodius potuiſſet cives monere, ut lapides aggererent: ſed ut pauci paucorum gratia in ſcribendo iam tum periculum fecerint, vel brevibus verſibus et epigrammatis aera, nuper conflari coepta, ſignaverint; quam longe haec rudis opera ab expedito uſu et facultate artis diſcrepet, quisque ſine admonitione noſtra intelligit.

Magis autem Herodotum miror in eo, quod tria illa epigrammata, quae ibidem ex anathematis Iſmenii Apollinis apud Thebanos tranſcripſit [18]), proxime ad Cadmi aetatem retrudit, et Homero tribus quatuorve ſaeculis priora facit. Acceperat, opinor, ita a monſtratoribus; refert ex more,

18) Subiiciam ea, ut, quid velim, ex hac pagina appareat:

I. Ἀμφιτρύων μ᾽ ἀνέθηκεν, ἰὼν ἀπὸ Τηλεβοάων.
II. Σκαιὸς πυγμαχέων με ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
νικήσας ἀνέθηκε τεὶν περικαλλὲς ἄγαλμα.
III. Λαοδάμας τρίποδ᾽ αὐτὸν ἐϋσκόπῳ Ἀπόλλωνι
μουναρχέων ἀνέθηκε τεὶν περικαλλὲς ἄγαλμα.

In primo verſu pro vulg. ἐών repoſui cum nonnullis ἰών i. e. ἀνιών. Ceteris coniecturis vix locus eſt; minime ei, quam poſt Bentleium nuper plures fecerunt, ἀνέθηκε νέων. Dandi primum erant auctores huius formae activae praeter Grammaticos quosdam et corruptum verſum Hymn. Hom. in Cer. 395.

quod acceperat; et inuſitata forma litterarum fecerat fidem: nec ingenia illo tempore ſubacta erant harum rerum iudicio. Sed quod ne hodie quidem illa fraus eorum ulli ſuſpicionem movit, qui cuiusque aetatis orationem ſubtili arte diſtinguere conſuerant, id ſatis mirari nequeo. Nam acrius mihi, quaeſo, animum intende ad illorum verſuum ſonum, eumque compara cum Homero; aut nihil in Orphicis adulterinum reperies, aut illos ad Homerici h. e. cultioris Ionici ſermonis imitationem factos eſſe, et ab iſta, quae fertur, vetuſtate longius abeſſe concedes. Non movet me, quod nihil tam antiquum exſtat, cuius contentione res deprehendatur. Quis enim, primum videns adultum hominem et integra magnitudine, diſcere cupiat ex ipſo, quali menſura fuerit, quum in cunabulis eſſet? Quocirca tantum abeſt, ut cum I. G. Voſſio [19]) ceteris ſcriptoribus oblivionem aut ignorantiam obiiciam, quod haec tam inſignia monumenta ſcripturae tranſierunt ſilentio, ut etiam ex hoc ipſo dubitandum putem, an Herodotus illud iudicium ſuum Criticis ſuae nationis probaverit. Idemque de reliquis inſcriptionibus, quas nonnulli ex eodem templo produnt [20]), ſtatuendum eſſe arbitror.

19) De Arte gramm. I, 10. p. 50.

20) Ut Pauſan. IX, 11. Illorum verſuum novitatem plane prodit una contractio ἑαυτῷ. Nec antiquius eſt epigramma illud ap. Ariſtot. Mirab. Auſc. 145. An

Igitur hoc unum videtur recte colligi ex Herodoto, artem ſcribendi iam dudum ante illum cognitam celebratamque fuiſſe, ut ultimis temporibus aſſignari poſſet. Quo ipſo deſtrui putes Woodii opinionem. Nam ſi illud tam paucis annis ante Herodotum fieri coepiſſet, ἱστορικώτατος auctor non ita, ut facit, iudicaturus erat. Ceterum vereor, ne tritiſſima fabula de Cadmo referenda ſit potius ad antiquitatem ipſius inventi, quam ad eum tractum temporis, quo notitia eius ad Graecos pervenerit. Talis enim inventi vagus rumor haud dubie apud illos praecurrit accuratae notitiae; hanc longo interiecto ſpatio rudium manuum imitamina, atque haec poſtremo vulgaris uſus et conſcriptio librorum ſecuta eſt.

XV.

Hic non dubito, quin futuri ſint multi, qui talium progreſſuum ſignificationem ſub illis nominibus latere, nec fruſtra tot auctores artis dilaudari ſuſpicentur. Ac fuit quidem, quum ego quoque hanc rationem ſequerer, et Orphei temporibus ſaltem titulos et epigrammata abiudicare non auderem. Sollicitabant me praeter alias cauſas quaedam litterarum monumenta, quae antiquiora Ho-

aliter iudicandum ſit de inſcriptionibus aliorum templorum, quas veteres paſſim tradunt ex antiquiſſima aetate, alii viderint. Mihi videtur in toto hoc genere primum ſancta fraus graſſata eſſe.

mero vel olim conſtitiſſe dicuntur, vel hodie ab eruditis cupide perhibentur [21]). Verum ab ea via plane me averterunt plura veſtigia hiſtorica, earumque rerum, quibus iſtius aetatis cultus continebatur, et ipſorum illorum monumentorum curioſa et ſubtilis exiſtimatio. Itaque maneo in ea ſententia, ut, etiamſi iſta omnia tempore praecedant Homerum, (malo enim illud nunc in medio relinquere, quam deflectere de curſu meo,) tamen inde nihil conſtare de vulgato uſu artis putem. Nam ſuperato operoſo labore, ut peregrinae notae patriis ſonis aptarentur, novaeque ſubderentur vocalibus et iis litteris, quibus Phoenicum ſcriptura caruiſſet: quo negotio perfecto demum res ad inſcriptiones lapidum ſimilisve materiae traduci potuit: verumtamen ut illa meditamenta iam Iliacis temporibus ſatis perfecta fuerint, longum hinc et multis modis impeditum iter reſtabat, donec artem habilibus inſtrumentis aptam cultior doctrinis populus ad brevium paginarum, tum ad iuſtam librorum ſcriptionem adhiberet.

Tribus verbis indicavi, quae, ut tum tempora erant, forſitan ſex ſaeculis non potuerint ad effectum venire. Diu enim illorum hominum

[21]) De his ſatis fuerit nominare unam celeberrimam inſcriptionem ex Amyclaeis a Fourmontio repertis: de illis Theſei ſtelen lapideam ap. Demoſth. c. Neaer. p. 873. D., ipſius Cadmi donarium ap. Diod. V, 58., aeneam tabulam ap. Plin. VII, 58. etc. etc.

vita et ſimplicitas nihil admodum habuit, quod ſcriptura dignum videretur: in aliis omnibus occupati agunt illi, quae poſteri ſcribunt, vel, ut de quibusdam populis accepimus, etiam monſtratam operam hanc ſpernunt tanquam indecori otii: Carmina autem, quae pangunt, longo uſu ſic ore et fundere et excipere conſueverunt, ut cantu et recitatione cummaxime vigentia deducere ad mutas notas, ex illius aetatis ſenſu nihil aliud eſſet, quam perimere ea et vitali vi ac ſpiritu privare. Qua de re infra dicam, quum de munere rhapſodorum explicabo. Nunc ad impedimenta praevertimur, quae aetas ad opificia minus ſagax non potuit non obiicere, ne cito talis res, tam per ſe parum apta ſenſibus, ab obſcuritate rudimentorum ad promptam facilitatem perduceretur. Etenim quantum et quam diu in hoc genere laboratum ſit olim inſtrumentorum penuria, ſingulatim perſequi ipſum labor eſt. Eum tamen laborem non omnino defugiam eorum gratia, qui nimis asſueti pennarum ſuarum chartarumque levitati difficultates huiusmodi a me praeter modum augeri putent.

Percurrant ergo mecum ea, in quibus graphium Graecorum ab antiquis ſcriptoribus traditur miſerrime haeſiſſe ad ſaeculum fere VI. ante Chr., quo primum biblus ſeu papyrus maiorem commoditatem attulit [22]). Sed folia et librum arborum

[22]) Vulgarem opinionem de papyro invento Alexandriae, profectam a M. Varrone ap. Plin. XIII, 11,

Sibyllis, item fabuloſo Dareti et amantibus relinquimus, etſi illius moris veſtigium quoddam videri poſſit eſſe in ἐκφυλλοφορίᾳ et in petaliſmo Syracuſano. Neque adeo in teſtulis aliquando ſcribi ſolitum quisquam docuit ex eo, quod per illas quaedam ſuffragia fierent Athenis. In lapidibus autem, in lignis et laminis metallorum prima tentamina facta eſſe, minime dubium eſt: certe optimis auctoribus accredimus, leges ligneis tabulis et axibus a Solone aliisque inciſas. At huic materiae alias quam publicas litteras mandaviſſe Graecos, nemo temere credat, niſi cui Boeoti perſuaſerint de plumbeo ſuo exemplari Ἔργων Heſiodi, quod iuxta fontem Heliconis vidit Pauſanias [23]), ſed vetuſtate plurimis partibus corruptum

21., plures iam pridem viderunt falſam eſſe. Enimvero locutus videtur Varro de commodiore quadam ratione faciendae chartae papyraceae, quali aetas ſua utebatur. Cuius rei ſimile quiddam notabitur paullo poſt in charta Pergamena. Contra nihili ſunt rationes, propter quas ſcriptorium uſum papyri ipſis ſaeculis vatum asſignat Guilandinus Comment. in 3 Plin. capp. de papyro M. II. p. 17. ſqq. At quinti a. Chr. ſaeculi teſtimonia videmus, Comicorum poëtarum, Cratini et Platonis ap. Pollucem VII. extr. atque Herodoti l. l. Primus illorum βιβλιογράφον, alter χάρτας habuit; tertius, et is minus quidem ambigue, βίβλους aliisque locis βιβλία, atque in illo ſatis ſignificat, ſua aetate non novum fuiſſe uſum papyri.

[23]) IX, 31. p. 771.

videtur legere non potuiſſe. Ut vero publica monumenta ligno atque metallis, ita utraque, in primis privata, linteis inſcripta eſſe, perquam credibile foret, ſi modo omnino hoc genus voluminum apud Graecos ullo tempore uſitatum fuiſſet. Quod quum ſecus ſit, idque genus ſolis Romanis tribuatur [24]), ac ſi cui forte placebit eius copiam praebere Moſi, ut ipſe Pentateuchum contexat [25]), ne linteam quidem Iliada nobis confingere licet. Itaque admodum inconditam artem manſiſſe apparet et rariſſimum uſum eius, antequam eam in ovillis vel caprinis pellibus procedere animadverſum erat. Id autem ab Ionibus inſtitutum luculento loco, quem aliquoties memoravi, refert Herodotus; eaque fuit una res, quae ſcribendis libris opportunitatem haberet antiquiorem fortaſſe papyro. Nam quod idem auctor mentionem facit ceratarum tabularum [26]), ex his certe volumina et libri confici nullo pacto potuerunt.

[24]) Sic intellige Plinii l. l., quo uſi ſumus in his omnibus, quae de inſtrumentis priſcae ſcripturae disputamus. Reliquos locos hac de re, et ſingulares libros virorum doctorum, teſtes excitare nihil attinet.

[25]) Vide prae ceteris Eichhornii Introd. in V. Teſt. T. I. p. 136. II. p. 213.

[26]) VII. extr. in hiſtoria Demarati, regis Spartanorum. Sed illud ibi non affert ut novum. Ceram

XVI.

At vero, ſi diu ante chartam Pergamenam radere pelles et ad ſcribendum aptare coepit Ionia, idemque populus, qui primus Carmina perpolivit, expeditiorem materiam ſcribendi commentus eſt, quid quaerimus, quale genus rerum exarandis ſuis Carminibus uſurparit vates Ionicus? Videlicet

Οἰῶν πώεα καλὰ καὶ αἰπόλια πλατέ᾽ αἰγῶν.

Vellemus tantummodo id adieciſſet Herodotus, quo tempore ea conſuetudo Ionum frequentari coeperit. Quanquam non videtur valde frequentata fuiſſe, ſi quidem facillime ceſſit chartae papyraceae. Enimvero illum, ſi modo aliae rationes ſiverint, non cupide interpretabimur, ſi hunc uſum pellium ſub epocham Olympiadum inductum credamus, et petitum ab Orientalibus, apud quos, ut alias quasdam barbaras gentes, invaluit penitus et diutiſſime viguit. Sed ut illud ſumpſeris, quod te facere cogent collecti calculi reliqui, tamen ne tunc quidem expeditam rem et vulgarem factam eſſe, ipſarum litterarum ratio oſtendit. Non amplius moramur Cadmi litteras 11 vel 16, nec Palamedis 3 vel 4, aut quidquid diſcrepat hiſtorica interpretatio vetuſtae fabuloſitatis. Certior quidem hiſtoria adhuc ſaeculo VI. et V. ante Chr. Simonidi Ceo atque Epicharmo Siculo, antiquae Comoediae principi, ſatis inſignes partes tribuit

autem etiam in pellibus adhibitam eſſe a Cypriis, ingenioſe coniecit Hemſterh. ad Polluc. X. p. 1214.

in litteris complendis et inveniendis novis [27]), quas deinde cum prioribus in aptam ſeriem collectas a Calliſtrato quodam, ante alios Ionica Samos publice uſurpaviſſe fertur [28]). Atque hoc Ionicum alphabetum 24 litterarum a populo Athenienſi tandem Euclide Archonte Olymp. XCIIII, 2. ante Chr. 403 receptum, nec ibi ante hoc tempus uſum duarum longarum vocalium publicatum tradunt plures et ex probatis auctoribus [29]).

[27]) Vide Hygini Fab. 277. Plin. VII, 56. Tzetz. Chil. XII, 398. Schol. in Villoiſ. Anecd. Gr. T. II. p. 187. Conf. Spanhem. de U. et P. Num. Diſſ. II. p. 85. Goenſii de Simonide IV, 1. Mongitoris Biblioth. Sic. T. I. p. 181.

[28]) Eo pertinuit dicterium Ariſtophanis in Babyloniis, fabula circ. 427. a. Chr. LXXXVIII. Ol. acta. Vide Suid. v. Σαμίων ὁ δῆμος coll. v. Ἀττικισμός, Schol. Ven. Cod. B. ad Il. η. 185. Tzetz. Chil. XII, 61. ſqq. Quod Calliſtratus apud hunc vocatur Grammaticus, facit ineptiſſimus homo, ut ſolent eruditi iſtorum temporum, quum antiquiores digne laudare volunt. Gravius eſt, quod ex illo Scholio, tum inedito, Spanhemius docuit l. l., operam Calliſtrati auctoritate Ephori traditam eſſe. Suſpicor praeterea, hunc ſcriptorem in ultima parte hiſtoriae ſuae, ubi ad novam recenſionem legum Atticarum eiectis XXX viris factam veniſſet, hanc omnem rem copioſe tractaſſe, indidemque excerptum eſſe locum Clementis ſupra n. 16.

[29]) Nominatim Ephoro, Theopompo, Androne Epheſio, fortaſſe aliis pluribus. Pro his adeundi ſunt

Adeo ſero litteratura Graecorum abſoluta eſt et redacta in ordinem, primum, ut multis de cauſis coniicio, in iis civitatibus, quae Siciliam et Magnam Graeciam tenebant, tum in illa poſthac litterarum conficientiſſima urbe, Athenis. Sed cavendum eſt rurſus, ne tam ſerum uſum ſcribendi credamus, aut in omni Graecia eodem tempore inſtitutum. Iones quidem quum tot aliis rebus Europae cognatae exemplum nitidioris cultus darent et humani et civilis, matureque variis artibus et commerciis florerent, vel tacente hiſtoria veriſimile eſſet, eos huius quoque praeclarae rei

nobis turbidi rivuli, Euſeb. Chron. ad Ol. XCIIII, 4. Cedren. et Paſch. Chron. ad XCVI, 4. cum Schol. ad Eurip. Phoen. 688., ubi vetus varietas notatur ex priſtino more ſcribendi, σῷ νιν ἐκγόνῳ et σοί νιν ἔκγονοι. Ibi v. Valcken. p. 260. et 688. I. G. Voſſ. de Arte gramm. I, 30. p. 113. Salmaſ. Add. ad Inſcript. Herodis Att. p. 232. Boherii Diſſ. §. 66. Weſſel. ad Petiti LL. AA. p. 194. Corſini Faſt. Att. T. III. p. 276. Huic poſtremo laudatus locus Syriani ad Hermog. p. 17. parum explicitam notitiam habet, quam omnino ab iſtis compilatoribus non exſpectes. Satis eſt, convenire omnes in re ſumma. Ceterum hinc apparet, quae dicta ſit apud Athenienſes ἡ μετ᾽ Εὐκλείδην γραμματική. Prius uſitatae litterae vocantur ἡ γραμματικὴ ἀρχαία ſeu Ἀττικὰ γράμματα. Etſi de his diverſae ſunt ſententiae doctorum: v. Intp. ad Harpocrat. v. Ἀττικοῖς γράμμασι etc.

utilitatem primos animadvertiſſe et ad eam ſtudium et ingenium contuliſſe ſuum. Quippe illis exſpectandus non fuit Calliſtratus Samius, ut aliquid ſcripto conſignare tentarent: iam ante hunc papyro uſi ſunt; immo ante Simonidem et Epicharmum fuerunt lyrici poëtae, et Ionici et Aeolici, qui illo adminiculo faciendorum Carminum carere vix poſſent. Denique in ea civitate, quae antiquum alphabetum diutiſſime retinuit, Olymp. XXXIX. minor numerus litterarum ſuffecit Draconis legibus ponendis. Quidni idem numerus ſuffecerit maximis voluminibus, ſi modo ea tum uſitata fuerunt, ſive ex pellibus, ſive ex papyro Aegyptia? Et iam aliquot annis ante Draconis magiſtratum beneficio Pſammetichi Aegyptus patefacta erat commerciis Ionum, ut facultatem papyri habere potuerint. Cui coniecturae ne hiſtorica fides deeſſet, quam paucis verbis opus fuiſſet Herodoto, niſi Graecis ſcripſiſſet ſolis! Nunc in primis moleſta eſt obſcuritas duorum ſaeculorum, octavi et ſeptimi ante Chr., in quibus illa gens igniculos politiſſimae humanitatis dudum ſusceptos egregie protulit, et ad omnem excellentiam artium admirabiles progreſſus fecit. Nam, ne de aliis plurimis inſtitutis dicam, quorum ſemina in iſtis tenebris iacta ſunt, in illa maxime ſaecula, a Lacedaemonio Lycurgo proxima, artis ſcriptoriae primum notabiliorem publicum uſum et ultra inſcriptiones progreſſum incidiſſe, tum coniectari non temere, tum ex nonnullis veſtigiis hiſtoriae

ita intelligi licet, ut perſpicuis teſtimoniis minus aegre careamus.

XVII.

Sed haec ipſa veſtigia hiſtoriae arguunt, inter illa publici uſus initia et vulgarem conſuetudinem ſcribendi librorumque conficiendorum curam multo longius, quam nunc quisquam exiſtimet, intervallum interiectum fuiſſe. Hic primum maximi momenti eſt, quod nullum usquam litterarum ex iſto genere monumentum commemoratur Lycurgei aut proxime inſequentis aevi, non epiſtola, non poëma, non liber ullus, cuius exemplum vel certe notitia exempli ad poſteriores aetates pervenerit. Niſi forte fabulas, de quibus §. XIII. dixi, audire volumus, eosque ſcriptores, qui priſcas res ad ſuas conſuetudines atque libidinem fingunt, quorum etiam in numero ſunt, qui ſuo ſe gladio iugulent [30]). At quid privatam ſcripturam quaerimus

[30]) Ita Gorgias perſonatus, qui Palamedi inventa tribuit γράμματα, μνήμης ὄργανον, eiusdem aetate quaſi pervulgatum uſum epiſtolarum memorat p. 104., falſus etiam in hoc, quod ibidem Graecum cum Troiano ſine interprete colloqui potuiſſe negat. Iſtae ſi cui ſatisfaciant ineptiae, ei Ovidium auctorem Epp. Heroidum et multos alios commonſtrabo maiores patronos, quorum tamen nullus tam honoratus eſt, quam Mutianus ter Conſul, qui Sarpedonis epiſtolam quandam a Troia ſcriptam in Lycia ipſe legerat, mirante Plinio XIII, 13.

iis temporibus, quibus in ſummo ſtudio ordinandarum civitatum ne leges quidem videmus litteris promulgatas? De omnibus nationibus Graeciae loquor, non excipio Iones; de quibus mihi pro auctoritate habendum videtur ſilentium eorum, qui veteres legum latores ſaepe accurate enumerant, omnibus in ordinem receptis, quibus quovis modo huius nominis honor tribueretur. Nempe illi tot ſcriptores utriusque linguae ſi in Ariſtotelis et Theophraſti celeberrimis olim libris et collectionibus [31]) ſcriptas Ionibus vel Aeolibus leges recenſeri vidiſſent, ante Pittacum Olymp. XLVIII. latas, nemo antiquitatis peritus putet, id eos tanto conſenſu transmiſſuros, nec novo nomine indicem ſuum aucturos fuiſſe. Ex quo intelligitur, ea omnia, quae tum pro legibus eſſent, ſive νόμοι, ſive θεσμοί, ſive ῥῆτραι vocabantur, in Ionia et finitima Graecia non aliter vulgata eſſe, quam apud Agathyrſos, Ariſtotelis aetate, atque antea apud Cretenſes et Lacedaemonios, quos huic rei etiam cantum et muſicos modos adhibuiſſe conſtat. *Primi Graecorum omnium* ſcriptas leges acceperunt *Locri Epizephyrii* a *Zaleuco* [32]), quem Eu-

[31]) Vide Fabr. B. Gr. L. III. c. 7. p. 194. et c. 9. p. 251. Omitto ſimilia opera aliorum de legibus Graecis et earum latoribus, minus tritorum lectione, tanquam Callimachi, Heraclidis Pontici, Hermippi etc.

[32]) Etſi duo tantum idonei auctores exſtant huius famae, Scymnus Perieg. 313. Strabo VI. p. 259.,

ſebius ponit florentem Olymp. XXIX. ante Chr. 664. aa. 70 ante Solonem.

eam tamen olim conſtantiſſimam fuiſſe clarum eſt ex verbis ipſorum, ut nihil aliud legiſſe videatur Cicero in libris, quos tangit ad Att. VI, 1. Augetur quam maxime pondus huius auctoritatis communi morbo Graecorum, quem paullo ante in Gorgia notavi et ſaepe alibi. Quicunque enim ullo tempore claruerant legibus ferendis, eodem omnes loco ab illis haberi ſolebant: etiam fabulae, Ceres θεσμοφόρος, Triptolemus, Cecrops, non ſpernuntur. Alias in hoc quoque genere ex conſuetudine priſci aevi congeſtum eſt in ſingulos, quod non unius aetatis fuerat, vel mutatum et expolitum erat ſtudiis plurium variis modis. Annon hoc factum eſt in Minoë Cretenſi, in Lycurgo, item in Moſe? Scripſiſſe autem vulgo credebantur illi omnes, nec clariori luci hiſtoriae cedebant fabulae. Ita Clemens Strom. I. p. 309. A. *Zaleuco, primo legum latori* (proprie ſic appellat eum, qui primus ſcripſerat: priores potius educatores civium ſuorum et moderatores fuerant:) Minoëm tali modo apponit, ut is 7 ſaeculis ante rem eandem feciſſe cenſendus ſit. Neque Clementi auctor longe quaerendus erat. Nam in Dial. Platonico p. 320. C. diſerte tribuuntur Minoi νόμοι ἐν χαλκοῖς γραμματείοις γεγραμμένοι. Qui locus, neſcio quomodo, etiam noſtrorum temporum doctiſſimis viris fraudi fuit, quum ſimillimus in eodem opuſculo alius neminem commoverit. Scilicet eodem teſte tragoedia ex Theſpidis et Phrynichi aetate ad Minois retrahenda erat et illudendum, iis omnibus, qui Homerum

Verum de Zaleuci legibus, quarum nonniſi tenuis fama ſupereſt, corrupta a declamatoribus, ut alia multa, ita hoc prorſus ignotum eſt, quo genere ſcribendi et quibus inſtrumentis exaratae ſint. Solonis autem aetate qualis Athenienſium ſcriptura fuerit, publica quidem, demonſtrant leges ipſius Olymp. XLVI, 3. ante Chr. 594. rudibus materiis inſcalptae βουστροφηδόν. Privata an habilior tum fuerit apud illos, dubium reddunt eaedem rationes, propter quas Bentleius plauſtrarias fabulas Suſarionis et Theſpidis (Olymp. L — LXI.) ſcripto editas negavit [33]), nemine eruditorum contradicente. Certe Atticorum ſcriptorum non ante Perſica tempora [34]) mentio fit aut ſignifica-

multo antiquiorem tragoedia fecerunt. At doctus Grammaticus Apollodorus Bibl. III, 1, 2. Minoëm teſtatur γράψαι νόμους. Sic ſcribit ſane, non teſtatur; fortaſſe ne credidit quidem. Utuntur hac locutione multi de ipſo Lycurgo, quem nihil ſcriptum reliquiſſe clamat omnis antiquitas.

33) In Apol. Diſſ. de Epiſtt. Phalaridis p. 109. ſqq. transl. Lennep.

34) Ut poëtarum comicorum, Chionidae, Magnetis, ut philoſophi Anaxagorae, qui Ol. LXXV, 1. annos 20 natus Athenas migravit. Diog. L. II, 7. Priorem poëtarum illorum, cuius tanquam primi ex Comicis Atticis meminit Ariſtoteles, annis 8 ante Xerxem fabulas docuiſſe, ex antiquis chronographis notavit Suidas cum Eudocia, bene ideo a Scaligero in Deſcr. Olympp. relatum ad Ol. LXXIII. Utrum-

tio, cui non fidem deroget illius aevi et rei publicae facies et graviffimorum auctorum filentium. Sed non perfequar, quod tenere fine longis ambagibus non poffum; ultro etiam concefferim, aliquanto ante Solonem Athenis hanc artem paullatim privato ftudio ufurpari coeptam: neque adeo dubito, quin id faeculis VIII. et VII. in ceteris civitatibus, nominatim Ioniae et Magnae Graeciae, fecerint follertiores quidam homines, eorumque exemplum vel fecuti vel ipfi rem aufpicati fint poëtae nonnulli, fi non Afius, Eumelus, Arctinus, alii, fub primis Olympp. clari epicis Carminibus, at certe Archilochus, Alcman, Pifander, Arion et horum aequales: tamen fi de *univerfa Graecia* et paullo tritiore ufu artis *inftitutoque confcribendorum librorum* quaeris, illud removendum non effe a Thaletis, Solonis, Pififtrati et eorum, qui Sapientes appellantur, aetate, i. e. ea qua oratio metro folvi coepit, ita fignificat nobis hiftoria artium Graecarum omnium, ut infantiam fuam obliti populi teftimonium minime defiderandum videatur.

De cultura profae orationis, ineunte faeculo ante Chr. VI. a pluribus et ipfo Solone inchoata, deque caufis novi incepti nihil hic habeo dicere:

que autem pluribus annis praegreffa eft Comoedia Graecorum Sicilienfium, ab Epicharmo, fi nutus veterum recte asfequor, perfcripta iam ante Gelonis tyrannidem.

et quae ex veterum locis hauriri poffunt, dicta funt omnia: at unam rem, etfi in coniectura pofitam, afferam, nifi omnia me fallunt, utiliffimam huic quaeftioni noftrae. Nam videtur plane neceffe effe, ut tum, quum Graeci impetum caperent vincula metrica revellendi et profam condendi, fatis iam expedita fuerit fcriptoria ars fuppetente copia inftrumentorum, quibus ad eam uterentur fine moleftia. Non quod in ifta copia ullam vim fuiffe putem, ut novum genus cogitata eloquendi nafceretur; uti docti quidam, quum poëticam tam mature natam mirarentur, neque, cur ita factum effet, viderent, caufam eius rei praecipuam hanc attulerunt, quod rudis populus acute praeviderit, eximium praefidium memoriae fore in numerofa moderatione verfuum: verum tamen non intelligo, qua tandem ratione cuiquam in mentem venire potuerit aliquid profarium componere, nifi aliam cuftodiam compofiti in promptu haberet quam memoriam fuam. Obruitur enim memoria, animusque vagatur et errat in hac libera continuatione verborum, quae nullis certis numeris adftricta eft, nullis velut fpatiis diftincta, quibus oratio orbem fuum conficiat. Atqui quum Homerica dictio longe longeque reducta fit ab eo fono, quem in infantia gentium horror troporum et imaginum inflat, atque in verbis et locutionibus caftigata admodum, aequabili verecundoque tenore fuo quafi praenunciet pedeftrem dictionem proxime fecuturam, quam tamen amplius tria fae-

cula a nemine tentatam reperimus: ita mea fert opinio, ut non cultum ingeniorum, sed alia quaedam maximeque difficultatem scribendi arbitrer in mora fuisse, quo minus poëticam prosa eloquentia tam celeri, quam natura ferret, gradu sequeretur.

Quam ob rem scripturam tentare et communi usui aptare plane idem videtur fuisse, atque prosam tentare et in ea excolenda se ponere. Neque enim tum primum nascebatur: cultura modo defuerat et conformatio quaedam, in ligno, metallis, lapidibus non melius procedens quam in familiari sermone, in epistolis, in concionibus. Ex quo illud quoque mihi videor pulchre perspicere, cur nemo veterum eos in scriptoribus prosae numeret, qui nondum portabili materia ad scribendum usi erant, uti ipse Solon in legibus suis. Multo minus in hunc numerum admitti potuit Hipparchus propter breves sententias et praecepta morum, quae is 70 fere annis post Solonem publicis monumentis insculpenda curavit [55]).

[55]) Noti Ἱππάρχειοι Ἑρμαῖ olim quidem e Comicis, hodie in primis ex auctore Platonici Dial. qui Hipparchus inscribitur. Plura v. in Meurs. Att. Lectt. V, 7. et Pisistr. 12. Ne vero ex his inscriptionibus colligas, eo tempore quemvis Athenis legere scisse. Id aliquanto post etiam paucorum fuit ex magnanimis Cecropidis. Potuerunt tamen ii ad discendum invitari illo instituto, non peiore, opinor, elementariis libellis nostris.

Iam si novi generis scribendi auctores perhibentur ii soli, qui iusta volumina condere instituerunt, ut Cadmus Milesius, Pherecydes Syrius et alii, Pisistratidis aequales, (in hoc enim manifeste omnis antiqua fama convenit:) id magno est argumento, *librorum confectionem* et apud Iones et apud reliquos Graecos hac ipsa aetate priorem non fuisse.

XVIII.

Hactenus experiri voluimus, quo progrederemur in hac controversia, universae historiae testimoniis adhibitis, non auctoritate Homeri et antiquorum interpretum eius. Nunc age attendamus animum, quid demum hi afferant, reiectis tamen, sicut par est, iis, qui vetustatis incuriosi de operibus Homeri, Hesiodi et aequalium perinde loquuntur tanquam de quibusvis libris bibliothecae suae, vel scribendi vocabulo utuntur vulgari errore stili, non animi iudicio. Ita ipse mihi, qui ἀοιδοὺς illos non scriptores sed ἀοιδοὺς fuisse contendo, facile passus sim quandoque illud verbum excidere, ne alterius saepe repetiti insolentia offendat. Cui rationi subiicienda sunt permulta loca veterum, similia istis, quae mentionem scripturae habent in legibus Lycurgi, quas nemo doctus olim scriptura latas credidit. Eodemque referrem notum locum Apollodori, in quo de exitiosis illis mandatis Proeti Il. ζ. 168. nomen ἐπιστολῆς ponit, praesertim quum ibi parum aptum fuisset exoleti moris indicium, negaremque Apollodori hac

de re ſententiam eo loco quaerendam eſſe, niſi ipſa verba a ſignificatione iuſtae epiſtolae prorſus abhorrerent [36]).

36) Il, 3, f. Προῖτος ἔδωκεν ἐπιστολὰς αὐτῷ πρὸς Ἰοβάτην κομίσειν, ἐν αἷς ἐνεγέγραπτο Βελλεροφόντην ἀποκτεῖναι· Ἰοβάτης δὲ ἐπιγνοὺς ἐπέταξεν κ. τ. λ. Quae duo verba in h. l. pertinere videntur ad ſcripturam litterarum, talia eſſe dico, ut de notis ſeu ſignis accepta optime habeant et prudenter poſita ſint. Nam ἐγγράφειν tum per ſe incertae poteſtatis eſt, tum eſt illud ipſum verbum, quod apud poëtam legitur. Pone pro illo ἐγγλύφειν, ἐγκολάπτειν, ἐγχαράσσειν; importunum ſtudium variandi ſenties. At πίνακα Homeri mutavit in ἐπιστολήν. Bene hoc quoque et ita apte cuivis ſigno, ut, ſi rem univerſe, non modum rei et deſuetum morem narraturus eſſet, Graeca lingua nihil aptius haberet. Conſtat enim ἐπιστολήν propria ſignificatione plane eſſe ἐντολήν, *mandatum;* ex quo etiam ap. Sophoclem ſunt λόγων ἐπιστολαί. Cf. Intpp. ad Heſych. T. I. p. 1390. Sed magis huc referendum eſt, quod poſthac clarius intelligetur, monitum Euſtathio p. 632. l. 9., τὴν πίνακα Homeri eſſe τὴν παρὰ τοῖς ὕστερον ἐπιστολήν. Omnem vero dubitationem tollit verbum ἐπιγνῶναι, *agnoſcere*, non *legere*, quod eſt ἀναγνῶναι, nusquam illud. Illud autem Graecis uſitatum eſſe de epiſtola, aut docendi erimus iis, qui ſecus accipiunt; et, ut citius doceant, ne Planudis quidem et Euſtathii ſaecula excipimus; aut ipſis concedendum erit, vix fuiſſe genus loquendi ſignificantius, quo mythographus uteretur, ſi ipſam rem, ut ſolet, breviter et proſaria dictione perſequi, nec antiquarium inepto loco agere vellet.

Quo pertinent igitur iſta verba? Eo, in quo doctiſſimos Grammaticos Alexandriae fere conſenſiſſe ſtatim apparebit. Mirationem faciet, quod dicam; et ipſe id ſaepenumero miratus ſum propter late patentem ἀνιστορησίαν antiquitatis: nullus fuit in Graecia eruditus interpres Homeri, qui in iſtis verſibus ſcripturam veri nominis, nullus, qui eam artem in Carminibus illius alibi usquam memoratam cenſuerit. Hoc ſi cui temere pronunciari videbitur, eripiat mihi, quaeſo, hunc errorem alia, quam recentioris cuiusdam Scholiaſtae auctoritate, quam deinde ſuo loco proponam. Ex Euſtathio et antiquioribus fontibus facere non poterit. Quodſi ullus veterum, quorum copias Euſtathius ad commentandum congeſſerat, alicubi contrariam rationem attuliſſet, qui fieri potuiſſet, ut eam vir priſcorum verborum quam morum peritior, et qui forſan ne homilias quidem ſuas ſola memoria tenebat, nullo in loco longiſſimi Commentarii effutiret, atque heroibus poëtae facultatem ſcribendi asſignaret? Nam in hunc numerum ſaltem non venit is locus, etſi magni aeſtimatus ab antiquariis nonnullis, in quo diſciplinam litterarum a Pelasgis ſervatam ex diluvio mentitur [37]).

37) Ad Il. β. p. 358. Ex tanto merito Pelasgos ab Homero appellari δίους. Nonne mirum eſt, egregium commentum ab Euſtath. ſileri ad κ. 429. et Odyſſ. τ. 177.? An forte non fuit in Scholiis eius? Certe noſtra id non afferunt, nec Diod.

Commentum hoc eſt aniliter fabulantium hiſtoricorum, geminum illi de Noacho, qualia libenter arripuit iſta aetas. At in Euſtathio non Euſtathii opiniones quaerimus, ſed vetuſtiorum litteratorum, quorum Scholia ante oculos habebat. Ex his autem Scholiis eum ubique et in iis verſibus maxime, ubi rem non obiter tractat, alia omnia referre, paullo mox viderimus.

Num vero Homerus ipſe ignotam heroibus ſuis artem ſcierit, nusquam nec Euſtathius nec, quantum ego reperio, quisquam Scholiaſtarum quaerit: ita res ab iis nec affirmatur nec negatur praeciſe. Ac quanti faciamus illorum voces, ſi eas mendacii convincant eventa, quae ne extrema quidem aetas plane diſſimulavit? Ne multa: etiam Alexandrinos Criticos haud dubie exercuit haec quaeſtio: nec aliunde quam ex disputationibus eorum manavit, ſi quid auctoritatis in tanta iactura librorum veterum ambiguo ſilentio Scholiorum noſtrorum obiicere poſſumus. Ita ſentiendum eſt de memorabili loco Ioſephi, ubi perſpicue dicit, *Homerum tradi ſcriptura uſum non fuiſſe*

Sic. V, 57., ubi ſimilia fabulatur de monumentis litterarum abſumptis in diluvio. Transcurro aliud quiddam in loco Euſtathii, quod docti, quibus ille familiaris eſt, etiam non admoniti animadvertent; ceteri modo crederent, aut, minus natura creduli, in cupiditatem meam traherent. Neutrum periculum hic ſubire libet.

in pangendis Carminibus, eaque primo memoriter prodita in vulgus et propagata, poſtea litteris mandata hanc formam et tenorem adſciviſſe [38]). Unica qui-

38) Contra Apion. I, 2. p. 439. Ὀψὲ καὶ μόλις ἔγνωσαν οἱ Ἕλληνες φύσιν γραμμάτων. Οἱ γὰρ ἀρχαιοτάτην αὐτῶν τὴν χρῆσιν εἶναι θέλοντες, παρὰ Φοινίκων καὶ Κάδμου σεμνύνονται μαθεῖν· οὐ μὴν οὐδ' ἐπ' ἐκείνου τοῦ χρόνου δύναιτό τις ἂν δεῖξαι σωζομένην ἀναγραφήν, οὔτ' ἐν ἱεροῖς, οὔτ' ἐν δημοσίοις ἀναθήμασιν. (Miratur hoc I. G. Voſſius propter nobilia epigrammata Herodoti. Aliter nunc ſentient ii, qui ſupra a me ſcriptum probarint. Nimirum Ioſephus operae pretium non duxit, illis et ſimilibus fabulis refutandis immorari; et fecerant id ante eum alii multi, ut hic ipſe locus oſtendit. Iam diligenter conſideres, quae addit:) Ὅπου γε καὶ περὶ τῶν ἐπὶ Τροίαν τοσούτοις ἔτεσι στρατευσάντων ὕστερον πολλὴ γέγονεν ἀπορία τε καὶ ζήτησις, εἰ γράμμασιν ἐχρῶντο· καὶ τἀληθὲς ἐπικρατεῖ μᾶλλον περὶ τοῦ τὴν νῦν οὖσαν τῶν γραμμάτων χρῆσιν ἐκείνους ἀγνοεῖν. Ὅλως δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν οὐδὲν ὁμολογούμενον εὑρίσκεται γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον. Οὗτος δὲ καὶ τῶν Τρωϊκῶν ὕστερον φαίνεται γενόμενος. Καί φασιν οὐδὲ τοῦτον ἐν γράμμασι τὴν αὑτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ᾀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι, καὶ διὰ τοῦτο πολλὰς ἐν αὐτῇ σχεῖν τὰς διαφωνίας. Tironum gratia cum Mariano notandum eſt, illud φασὶν de rebus vel certiſſimis uſurpari in *fama minime obſcura*, non de iis, quae a nonnullis ſive paucis traduntur. De his Graece eſt φασὶν ἔνιοι, φασί τινες. Eadem ratio

dem haec eſt de hac quaeſtione auctoritas diſerta, ſed eo gravior, quod ſcripta eſt adverſus doctiſſimum interpretem Homeri, et nemo veterum exſtat diverſae ſeu contrariae ſententiae defenſor. Quare, utcunque reliqua fides Ioſephi exiſtimetur, locus ille tantum valebit, quantum perſpicua verba valent. Denique acceſſit ei nuper Scholiaſtes quidam [39]), adiutor minime dignus ille mentione, niſi narrationem ſuam ex iisdem Alexandrinis reliquiis ſublegiſſet, vitiatam mox fabellis ſeriorum Grammaticorum. Ex Ioſepho enim illos eam non ſumpſiſſe manifeſtum eſt. Ceterum quantum tribuendum ſit tali iudicio veterum, pro ſe quisque expendat: mihi etſi graviſſimum videtur partim per ſe, partim quia illis plura Homericae aetati proxima Carmina in manibus erant, in hac quaeſtione praeiudicii potius quam iudicii loco eſto. Quoniam enim ipſos verſus habemus, in quibus vates de ſcriptoria arte aut ſilere aut teſtari putatur, utrum verum ſit, ex certis interpretandi legibus diiudicare noſtrum eſt.

eſt Lat. verborum *dicunt*, *ferunt*, *tradunt*, *perhibent*. Neque vero per ſe hoc multum proficit. Quam multa perhibet fama, quorum falſitatem ratio et tres teſtes doceant!

39) Ad Dionyſ. Thracis Gramm. ap. Villoiſ. Anecd. Gr. T. II. p. 182. Ἦν γὰρ, ὥς φασιν, ἀπολόμενα τὰ τοῦ Ὁμήρου· τότε γὰρ οὐ γραφῇ παρεδίδοντο, ἀλλὰ μόνῃ διδασκαλίᾳ, ὡς ἂν μνήμονι φυλάττοιντο κ. τ. λ.

XIX.

At occurrunt nobis nonnulli, oppoſita ancipiti vi ſilentii in hoc hiſtorico genere. In quo iſti ſane dicunt aliquid, ſed non tantum, quantum ſibi videntur dicere. Eſt haud dubie ſilentium quoddam nullius momenti et in neutram partem trahendum; contra aliud eſt argutum et, ut ita dicam, vocale, quod ſi non expugnatur diverſum teſtantium auctoritate, vel ea, quae omnes omnium auctoritates frangit, ratione, apud prudentiſſimum quemque ſemper plurimum valuit. Iam ſi forte tale non fuerit illud Homeri, libenter audiemus eos, a quibus remittimur ad alios poëtas, quos quum liqueat tritiſſimam habuiſſe artem ſcribendi, eorum plures tamen nusquam illius mentionem iacere videmus. Quanquam paullo diverſa conditio videtur eſſe horum et Heſiodeorum Carminum. Nam quum in tanta longitudine illorum tot conſuetudinum et celebrium artium picturae intextae ſint, in primis earum, quae illo tempore aliquam admirabilitatem ex novitate haberent, in Heſiodeis autem magna pars domeſticae diſciplinae tradatur, iure meritoque mirere, ſi neuter utiliſſimae rei meminerit. Neque vero ſatis firmum per ſe eſſet hoc argumentum, aut dignum, in quo tantopere ſe iactarent viri docti. Quod enim ita ſe credere fatentur nullam artem Homero fuiſſe cognitam, quae apud eum non inveniatur, retunditur haec ratio exemplis variarum artium, quas nullo loco laudat, quarum tamen ta-

lis natura eſt, ut aliae, quas ſaepe celebrat, ſine illis exſiſtere et cohaerere non potuiſſent.

Pergamus ad aliud, quod magis continet cauſam. Dubitatum eſt olim [40]), an uſum elixarum carnium norit Homerus. Non enim habet verbum ἕψειν, non aliud poteſtatis eiusdem; nonniſi aſſa apponit menſis. At vero qui illa Il. φ. 362. Odyſſ. μ. 237. cecinit et ſimilia de lebetibus igni imponi ſolitis, num is coquinariam rem penitus ignorare potuit? Nec id, opinor, dubitabant veteres, qui illam quaeſtionem movebant. Pingendi artem, quae eo nomine digna ſit, Homerus nullam novit [41]); textilia et cognatarum artium opera memorat multa, picturam nullam. Nam quis nomen hoc imponat rubricae navium aut pigmentis Caricae mulieris [42]), quamvis per illa veris picturis proluſum ſit? Neque militiae neque domi uſitatam heroibus fuiſſe equitationem, utraque poëſis clare loquitur: nam negligenda nobis eſt auctoritas unius cuiusdam loci Il. κ. 513. ſqq. pluribus de cauſis: ſed inauditam Homero

[40]) Veſtigium ſupereſt ap. Athen. I. p. 25. D.

[41]) Ita recte Plin. XXXV, 3. extr. Cui loco non adverſatur, ut quidam putant, alius eiusdem operis, XXXIII, 7., etſi fortaſſe ex diverſo ſcriptore petitus. Confirmat rem hiſtoria artium apud Graecos, ad cuius ſcriptores amandamus lectorem.

[42]) Il. δ. 141. ſqq. Νῆες μέλαιναι, μιλτοπάρῃοι, φοινικοπάρῃοι notiſſimae ſunt ex multis verſibus.

rem videri fuiſſe minime ſinunt ſimilitudines Il. ο. 679. ſqq. et Odyſſ. ε. 371. Uſus ſum his exemplis potiſſimum, quia luculenter oſtendunt, quid inter ignota et vulgo uſitata interſit, et quam conſiderate cauteque coniectandum ſit de primarum inventionum et morum ſucceſſibus. Finge igitur vatem alicubi de invento Cadmi ſeu Palamedis diſerte locutum, vel commercia epiſtolarum, primum, ut plerisque videtur, rudimentum ſcribendi, tanquam vulgatam rem teſtatum eſſe: num ex eo ſatis appareat, etiam volumina Carminum ſcribi moris fuiſſe?

Sed qui duo ſunt apud Homerum loci, in quibus ſimile quiddam ſcripturae reperitur, accurata interpretatio facile vincet, eos non magis de ſcriptura accipiendos eſſe, quam celebrem illum Ciceronis [43]) de typographia noſtra. Atque in altero quidem loco, Il. η. 175. ſqq., cito conventurum arbitror inter omnes, nihil ineſſe, quod alterutri parti proficiat. Deſcribitur ibi modus ſortiendi illuſtri quodam exemplo, ſed ita, ut omnis narratio reclamet, ne animum ſubeat cogitatio litterarum. Nam σήματα, quibus utuntur heroës, χαράγματα eſſe, ſive ſigna arbitraria, ligno vel alii inutili rei addita, manifeſtum eſt ex eo, quod ſors, quae galea exiit, a circumeunte praecone unicuique agnoſcenda demonſtratur [44]). Quare

[43]) De Nat. Deor. II, 37.

[44]) Hic ſubnotanda eſt paullo ante promiſſa ratio re-

verbi *ἐπιγράφειν* v. 187. eadem ſignificatio ſit neceſſe eſt, quae alibi ubique eſt, fodiendi ſeu ſcalpendi. Senſus alterius loci, ζ. 168. ſqq., impeditior factus eſt ab iis, qui mores Homericos non diſcere ab illo, ſed in eum inferre, et vaga vocabula ad conſuetudinem ſui ſaeculi torquere ſolebant. Ac certe hoc loco ut epiſtolam exſpectes, inducit quodammodo ipſa res; inducunt σήματα; (quis neſcit Φοινικικὰ σήματα Κάδμου?) inducit πίναξ πτυκτός, *tabella complicata*, vel, ſi quid elegantius quaeris, *obſignata* [45]). Ita vero magno-

— centioris Scholiaſtae in Ven. Cod. B. ad v. 185., ſuaviſſimi hominis. Nos unum alphabetum moleſte quaerimus; ille tot habet diverſa, quot fuerunt populi Graeciae, in eoque cauſam videt, cur unusquisque heroum nonniſi ſuam manum agnorit. Rectius dudum editus brevis Schol., a melioribus h. l. edoctus, οὐ γράμματα ſed γραμμάς τινας intelligi iubet. Optime antiquus Schol. Cod. A. ad v. 187. Οὐ γράμμασι τῆς λέξεως, ἀλλ' ἐγχαράξας σημεῖα· εἰ γὰρ κοινῶς ᾔδεσαν γράμματα, ἔδει τὸν κήρυκα ἀναγνῶναι καὶ τοὺς ἄλλους, οἷς ἐπεδείκνυτο ὁ κλῆρος. Item Euſtath. p. 674. 35. Οὐ γράμματα νοητέον ἐξ ἀνάγκης τὰ τοιαῦτα σήματα, εἴδωλα δέ τινα ἢ ἁπλῶς ἐκτυπώματα ἐν ὑποκειμένῳ εὐτελεῖ, λιθιδίῳ τυχὸν ἢ ξυλυφίῳ ἢ τοιούτῳ τινί.

[45]) Sic fere optimi Intpp. Francogalli plerique, *des lettres bien ſcellées*; Popius, *a ſealed tablet*; alii ſimiliter. Quaſi Latina illa in textu vertiſſent e Cicerone, aut deſcriptionem plicatilis tabulae ſumpſiſſent ex Herodian. Hiſt. I, 17., apud quem VII,

pere mirandus erat conſenſus antiquorum interpretum, qui verbum γράφειν hic quoque voluerunt eſſe χαράσσειν ſ. ξέειν, σήματα nativa vi εἴδωλά τινα, πίνακα denique σανίδα ſ. ξυλάριον [46]).

6. πυκτοὺς πίνακας Politianus bene vertit *litteras obſignatas*. Num etiam Pollux audiendus erit IV, 18., ubi in una ſerie cum recentioribus τριπτύχοις et πολυπτύχοις Homericum πίνακα affert? Num Tragici? apud quos leguntur σανίδες, πτυχαί, διαπτυχαὶ γραμμάτων, ut ap. Euripidem, tum alibi, tum Hippol. 856. Alc. 970. Scilicet, ut nihil dicam de more Tragicorum, novas conſuetudines in heroicum aevum transferendi, plicari potuerunt tabulae omni tempore, ſicut nos plicamus chartam: id unum quaeritur, an illae notis litterarum et vera ſcriptura conſignatae fuerint. Id nos nec Pollux, nec Herodianus, nec Tragici docent.

[46]) Accuratiſſime haec perſequitur Euſtath. p. 632. ſqq. Γραμμάτων χρῆσις νεωτέρα ἐστίν· ὡσαύτως καὶ τὸ ἄξεστα σημεῖα διὰ χρωμάτων ἐντυποῦν ὕστερον εὕρηται· καὶ ἡ τῶν χαρταρίων δὲ χρεία τοῦ κάτω χρόνου εὕρημα. Οἱ δέ γε παλαιοὶ, ὁποῖόν τι καὶ οἱ Αἰγύπτιοι ἐποίουν, ζῳίδιά τινα ἱερογλυφοῦντες καὶ λοιποὺς δὲ χαρακτῆρας εἰς σημασίαν ὧν λέγειν ἐβούλοντο, οὕτω καὶ αὐτοὶ, καθὰ καὶ τῶν τινες ὕστερον Σκυθῶν, ἐσήμαινον ἃ ἤθελον, εἴδωλά τινα καὶ πολυειδῆ γραμμικὰ ξέσματα ἐγγράφοντες ἤτοι ἐγγλύφοντες πίναξι τουτέστι σανίσιν, ἀλλοίαις τε καὶ ταῖς ἐκ πύξων, ἐξ ὧν αἱ λεγόμεναι πυξίδες. — Σήματά φησιν ἐγκεκολαμμένα πίνακι πτυκτῷ τῷ κατὰ τὴν ἀρχαιοτάτην χρῆσιν. — Πίνακα πτυκτόν, ὅ φαμεν ἡμεῖς δέλτον ἤτοι βιβλίον ἢ πιττάκιον. — Ἔχοι ἄν τις καὶ τοῦτο εἰς μαρτυρίαν τοῦ ξύλοις ἐγχα-

Permirum est, inquam, eos, qui alias tanto studio novam suam sapientiam illinunt Homero, nunc repente tam sui dissimiles prodire. Quippe tales habemus et auctores antiquissimorum Scholiorum, et ipsum Eustathium, ex quibus cetero-

ράσσεσθαι ποτε γράμματα, ὃ μάλιστα ἐπὶ μαρμάρων λίθων πεχειρήθη, ἐφ᾽ ὧν καὶ ἡ τοῦ γράφειν ἁρμόττει ὀνοματοποιΐα· εἰ δὲ καὶ συνήγετο ἡ τοιαύτη δέλτος ἡ ἐκ πεύκης τριγωνοειδῶς, κατὰ τοὺς ὕστερον Ἀττικοὺς ἄξονας, ἐν οἷς ἐπινακογραφοῦντο νόμοι, κυριολεκτοῖτο ἂν ἐπ᾽ αὐτῆς καὶ ὁ καθ᾽ Ὅμηρον πίναξ καὶ ἡ παρὰ τοῖς μεθ᾽ Ὅμηρον δέλτος. — Χρήσιμον δὲ εἰς τὸν παρόντα τόπον καὶ τὸ παλαιὸν ἔθος, καθ᾽ ὃ δένδροις ὅσα καὶ πίναξιν ἐνεκόλαπτον οἱ παλαιοὶ τὰ τῶν φιλουμένων ὀνόματα, ὡς εἴπερ Ἔρωτες ἢ Νύμφαι ὀρειναὶ τοῦτο ἐποίουν· οἷον, ἡ δεῖνα καλή. ὁ δεῖνα καλός. — Ἐκ τούτων δὲ καὶ παροιμία παρέξεσται ὕστερον τὸ, Βελλεροφόντης καθ᾽ ἑαυτοῦ γράμματα κ. τ. λ. Conf. ad Odyss. p. 1926. l. 49. p. 1959. l. 57. Qui novit Eustathium, statim videt, quibus auctoribus ista omnia adscribenda sint; laudatque ipse suos Παλαιούς. Itaque antiquissimus Schol. Cod. A. notat, *videri* hic vocum et verborum scripturam significari, sed *non ita esse*, σημεῖα esse εἴδωλα, οὐ γράμματα. Idem etiam breviter servavit Apollon. Lex. v. γραπτῦς. Neque alio pertinet locus Plinii XIII, 13. ubi, quum scripsisset, *pugillarium* usum etiam ante Troiana tempora inveniri apud Homerum, addit Bellerophonti *codicillos* (i. e. *pugillares*) datos, non *epistolas*. Quanquam hoc ex moribus Romanis dictum parum utile nobis esset sine reliquiis Grammaticorum Graecorum.

rum, si non omnium [47]), at certe plurimorum et optimorum Intpp. olim consensus emergit.

Quam ob rem, ut pleraque in hoc loco ambigua sint, videri tamen queat in eo latere aliquid, quod neglectum adhuc ab eruditis, impulerit veteres illos atque coegerit, ut ibi quoque notas seu signa quaedam viderent, non veram scripturam litterarum. Atque ex hoc genere est in primis verbum δεῖξαι, cuius ea est vis, ut vel acerrimum adversarium sententia sua deiiciat. Nam si de perlato et reddito scripto loqueretur Homerus, aut equidem eius proprietatem et consuetudinem loquendi penitus nescio, aut eum alio quovis quam illo verbo usurum fuisse contendo. Neque vero hoc tantum contendo, sed nego praeterea, quenquam poëtam, nec Graecum nec Latinum, ne amantissimum quidem audacium vocabulorum, *monstrandi* seu *ostendendi* verbum posuisse de epistola reddenda. Minus me offenderet σῆμα ἰδέσθαι v. 176. in lectione scripti, etsi nec hoc satis Homericum putarem: nunc utrumque eiusdem generis esse apparet. Addere plura taedet.

47) Eustath. p. 633. l. 9. Τινές φασι, δύνασθαι τὰ μὲν γράμματα ἐνταῦθα σήματα φιλοσοφώτερον καλεῖσθαι, σημεῖα γὰρ φωνῶν καὶ νοημάτων καὶ πραγμάτων εἰσὶ τὰ γράμματα. Ex illis τισὶν est Schol. Cod. B., σήματα explicans vulgari modo γράμματα: ne Plutarchum et alios scriptores memorem, qui modo Bellerophonteam ἐπιστολήν, modo γράμματα garriunt.

Unum quaeram: torquerene potius et pervertere decebit ſermonem Homeri, quam interpretationem veterum, quae et illorum et noſtrorum temporum uſui repugnet, amplecti?

Qualis tamen ille mos fuerit, qualia ſigna Proeti, Iobatae monſtrata, quaerere eſt alius loci. Veteres Grammatici quid coniecerint, ignoramus, niſi quod pauci illorum videntur ea in numero ἱερογλυφικῶν habuiſſe, quemadmodum plures hodie fecerunt [48]). At Apollodori locum illum cum Scholiis noſtris comparanti haud aegre perſuadeam, πίνακα πτυκτὸν ab illis habitum eſſe ligneam *teſſeram* vel *ſymbolum* aliquem, qui notas mortiferas rudi arte inciſas habuerit [49]). De tabula cerata cogitare vix ſinit conſuetudo poëtae, artificioſam eiusmodi operam aliquo certe epitheto aliave adiectione ornaturi.

[48]) V. c. Bachetus Mezir. ad Ovid. Epp. Heroid. T. I. p. 328. Huius tamen rationis quoddam veſtigium eſt in exſignato loco Euſtathii.

[49]) Schol. Cod. A. ad v. 169. Γράψαι ἐστὶ τὸ ξέσαι· οἷον οὖν ἐγχαράξας εἴδωλα, δι' ὧν ἔδει γνῶναι τὸν πενθερὸν τοῦ Προίτου. Circumlocutio haec eſt verbi, quod Apollod. adhibuit, ἐπιγνούς; ut perſpicuum ſit, eandem utrumque ſententiam ſequi. Euſtath. l. c. Εὐριπίδης που τὰ Ὁμηρικὰ σήματα εἰς ξύμβολα μεταλαβὼν φησι· Ξένοις τε πέμπειν σύμβολα, οἵ δράσουσί σ' εὖ. (Medea v. 613.) Mihi veri perſimile videtur, iam tum inter cognatos obtinuiſſe notas quasdam ſymbolicas, quibus de *nonnullis graviſſimis rebus* ſenſa animorum inter ſe communicarent, in primisque hoc genus θυμοφθόρων σημάτων, inventum fortaſſe ea aetate, qua ultionis caedium et inimicitiarum dira ſaevitia vigebat. Sed haec accuratius explicanda ſunt in ſingulari quaeſtione de *ſymbolis veterum*. Interim neminem poenitebit comparare ſimilia apud Merianum p. 523. ſqq., in quibus etiam ſunt facetiſſima haec: „Si c'étoit là véritablement une lettre écrite en caractères d'alphabet, il ſeroit extrêmement ſingulier, qu'une invention ſi utile et dès-lors ſi connue, eût disparu deux générations après, dans des conjonctures où ſon uſage devenoit d'une tout autre importance. *N'étoit-elle donc bonne que pour des lettres de recommendation, qui tendoient à faire dévorer les gens par la Chimère?*„

XX.

Docet ergo locorum illorum explicatio, non ex peregrinis opinionibus captata, ſed inſtituta diligenter ex Homericae orationis proprietate mentionem ſcripturae in iis fieri nullam. Ac profecto ſi aliter ſe res haberet in poſteriore loco, non temere is alicui ſuſpicioſo interpolatus vel aliquo modo vitiatus videri poſſet. Quae ſuſpicio quum ipſam ſpeciem tolleret vulgati moris litterarum, (ſpeciem dico *unius exemplum epiſtolae*,) nullumque apud poëtam veſtigium earum relinqueret; nihil omnino praeſidii ſupereſſet contrariae opinioni, niſi ex ipſa hac tanta longitudine duorum Carminum,

quae nullo modo credibile videatur ſine illius artis auxilio aut perfici aut ad poſteritatem prodi potuiſſe. Ea autem ratiuncula quam levis ſit et primis legibus hiſtoriae repugnans, docti indoctique ſciunt.

Iam vero non modo nullum tale in Homero exſtat teſtimonium rei vel veſtigium, nullum ne tenuiſſimorum quidem initiorum legitimae ſcripturae vel Cadmei muneris [50]) indicium, ſed, quod longe maximi momenti eſt, contraria etiam omnia. Nusquam vocabulum *libri*, nusquam *ſcribendi*, nusquam *lectionis*, nusquam *litterarum* [51]): nihil in

[50]) Semper mihi maxime mirum viſum eſt, qui fieri potuiſſet, ſi fabula iſta de Cadmo tam vetuſta eſſet quam volunt, ut eam tot Graeci poëtae prorſus intactam relinquerent. Id vero feciſſe omnes, non modo eos, quos adhuc in manibus habemus, ſignificant nobis ſilentia poëtarum Latinorum et Apollodori, qui ex mythicis poëtis celeberrima quaeque collegit. Eſt hoc eo admirabilius, quod reliqua hiſtoria Cadmi nobiliſſimis fabulis cauſam dedit. Itaque tantum certe ex ea re colligendum eſſet, obſcura primordia artis per plura ſaecula neminem mythicorum poëtarum ad ornandum eius auctorem excitare potuiſſe. Verum magis in promptu erit recta ratio, ſi ipſa illa primordia apud Graecos non priora fuerunt ſaeculo IX. ante Chr.

[51]) De verbo γράφειν ſatis dictum eſt. Nusquam id apud antiquiores illos idem valet, quod inde ab Aeſchylo et Pindaro vulgare eſt. Deducta inde nomina, γραφή et γράμμα, ipſa quoque ſunt poſterio-

tot millibus verſuum ad lectionem, omnia ad auditionem comparata; nulla pacta aut foedera niſi coram; nullus veterum rerum famae fons praeter memoriam et famam et illitterata monumenta [52]); ex eo Muſarum, memorum dearum, diligens et in Iliade enixe repetita invocatio; nullus in cippis et ſepulcris, quae interdum memorantur, titulus; non alia ulla inſcriptio; non aes ſignatum aut facta pecunia; nullus uſus ſcripti in rebus domeſticis et mercatura [53]); nullae geographicae tabulae; deni-

ra. Annotarunt hoc veteres in loco illo Hom., ubi eos σῆμα ter poſitum offendit. Variaturum fuiſſe poëtam putabant, ſi illa ei nota fuiſſent. Euſtath. l. c. Τὸ γράμμα οὐκ οἶδεν ὁ ποιητής· εἰ γὰρ ἐπ᾽ αὐτοῦ ἦν ἐν χρήσει, καθὰ καὶ ἡ ἐν Ὀδυσσείᾳ γραπτύς, οὐκ ἂν τρὶς εἶπε τὸ σῆμα, ἐπιμείνας τῇ λέξει διὰ τὸ μονῆρες καὶ καίριον. Γράμμα primum reperio apud Erinnam. Neque ἀναγνῶναι, *legere*, aut ſimile aliquid, ibi ubi id maxime exſpectes, invenias; etſi alio ſenſu dicitur σήματα ἀναγνῶναι Odyſſ. τ. 250. ψ. 206. ω. 345. Denique vocabulum δέλτος non eſt antiquius Aeſchylo et auctore Batrachomyomachiae, temporibus Aeſchyli, id quod etiam nonnulli ex veteribus viderunt, aequali.

[52]) Vide loca in I. E. Kochii libello: Litterar. Magazin I. p. 76.

[53]) Talia quaeras in Heſiodi Ἔργοις. At Odyſſ. θ. 163. in navi commemoratur φόρτου μνήμων. Iam conferat aliquis, ſi poterit, Romanos homines *a memoria*. Nos antiquum uſum ſequimur Odyſſ. φ. 95. Neque curamus Euſtathii explic., ὁ γραμματεὺς ἤτοι ἀποσημάν-

que nulli tabellarii, nullae epiſtolae, quarum ſi conſuetudo fuiſſet in patria Ulyſſis, vel ſi πτυκτοὶ πίνακες percontationibus procorum et Telemachi ſuffeciſſent, procul dubio Odyſſeam aliquot libris breviorem, aut, ut Rouſſavius coniiciebat [54]), omnino nullam haberemus.

τωρ διὰ γραμμάτων· ἢ καὶ ἄλλως, λογιστής, ἐπιμελητής. Tametſi haec quoque ſatis produnt veterum Intpp. ſententiam. Ceterum riderent, ſi hoc legerent, inſtitores et propolae noſtri. Ex quo ordine ego ipſe aliquando audivi mulierem quandam illitteratiſſimam nec cetera valentem ingenio, quum enumerationem faceret mercium, quas variis in oppidis conditas haberet, adeo longam, ut fortaſſe cum μνήμονι Phoeniciae navis certare potuiſſet.

[54]) Digniſſima eſt acutiſſimi viri ſententia, quae tota huc tranſcribatur ex Opuſculo eius *ſur l'Origine des Langues*, Oeuvres poſth. Genev. edit. 1782. T. XVI. p. 240. „Quoi qu'on nous diſe de l'invention de l'alphabet Grec, je la crois beaucoup plus moderne qu'on ne la fait, et je fonde principalement cette opinion ſur le caractere de la langue. Il m'eſt venu bien ſouvent dans l'eſprit de douter non-ſeulement qu'Homere ſût écrire; mais même qu'on écrivît de ſon tems. J'ai grand regret, que ce doute ſoit ſi formellement démenti par l'hiſtoire de Bellerophon dans l'Iliade. Comme j'ai le malheur auſſi bien que le P. Hardouin d'être un peu obſtiné dans mes paradoxes, ſi j'étois moins ignorant, je ſerois bien tenté d'étendre mes doutes ſur cette hiſtoire même, et de l'accuſer d'avoir été ſans beaucoup d'examen interpolée par les compilateurs d'Homere. Non-ſeulement dans le reſte de

XXI.

Haec omnia colligata inter ſe, et in uno conſpectu poſita, num fortuita ſilentia ſunt? an is, qui ita ſilet, loquentis et clare teſtantis perſonam gerit? Mihi quidem, etſi non ſum nimis credulus, illa per ſe plane perſuaderent, vulgarem autem opinionem defendere dementiſſima pervicacia videretur. At erunt, opinor, qui dicant, effi-

l'Iliade on voit peu de traces de cet art: (ne mireris, quod *pauca* veſtigia dicit eſſe, quae *nulla* ſunt; ita loquuntur, qui non certi ſunt ſententiae ſuae:) mais j'oſe avancer que toute l'Odyſſée n'eſt qu'un tiſſu de bêtiſes et d'inepties qu'une lettre ou deux euſſent réduit en fumée, au lieu qu'on rend ce poëme raiſonnable et même aſſez bien conduit, en ſuppoſant que ſes héros aient ignoré l'écriture. Si l'Iliade eût été écrite, elle eût été beaucoup moins chantée, les Rhapſodes euſſent été moins recherchés et ſe ſeroient moins multipliés. Aucun autre Poëte n'a été ainſi chanté, ſi ce n'eſt le Taſſe à Veniſe; encore n'eſt-ce que par les Gondoliers qui ne ſont pas grands lecteurs. — Les Poëmes d'Homere reſterent long-tems écrits ſeulement dans la mémoire des hommes; ils furent raſſemblés par écrit aſſez tard et avec beaucoup de peine. Ce fut quand la Grece commença d'abonder en livres et en poéſie écrite, que tout le charme de celle d'Homere ſe fit ſentir par comparaiſon. Les autres Poëtes écrivoient, Homere ſeul avoit chanté, et ces chants divins n'ont ceſſé d'être écoutés avec raviſſement que quand l'Europe s'eſt couverte de barbares, qui ſe ſont melés de juger ce qu'ils ne pouvoient ſentir.„

ci quidem ex illis, ut litterae vel obſcuriſſimae vel prorſus ignoratae fuerint Troianis temporibus, non item hoc, ut vates duobus poſt ſaeculis ipſe quoque illitteratus fuerit. Extremam hanc latebram ſi obſtruere vellem, neceſſe haberem longam disputationem ingredi de omni ratione, qua Homerus in deſcriptione heroicae vitae verſari ſolet. Non enim apud illum niſi bis terve hoc genus reperio eruditae artis, quod poëtae cultiorum aetatum affectant, quum ſuperiorum fabuloſa geſta ſcenae reddentes cavent ſedulo, ne priſcam ſinceritatem novis moribus infucent, quo facilius lectoribus vel ſpectatoribus, propter antiquitatis peritiam incredulis, imponant, eosque rebus ac perſonis, quibus cummaxime volunt, intereſſe et tota mente quaſi cum illis vivere cogant [55]). Qua ex re etiam talia quaedam manarunt ſolennia apud poëtas, quae orta primum e certa *perſuaſione* vatum, nunc ſacrata *conſuetudine* ſe tuentur. Ita ho-

[55]) Hinc vocabula ex hoc civili cultu tam rara ſunt in optimis poëtis. Hinc Virgilius in Aeneïde, etſi Homericam ſinceritatem naturae in plurimis rebus non asſequitur, omniaque habet fucatiora, nusquam ſcripturam, et quae ad eam pertinent, memorat. Neque tamen uno loco ſatis cavit levem errorem, in Sibylla, *Carmina in foliis deſcribente notis et nominibus* III, 443. VI, 74. I nunc, et Gorgiae, Ovidio, Tragicis, Virgilium adde graviſſimum teſtem, quippe perpetuum Homeri imitatorem.

dieque longiorum Carminum conditores eundem, quem priſci illi credebant, afflatum Muſarum et Apollinis ementiuntur, et ab iis numinibus, quae nemo eſſe credit, doctos ſe *edere cantum*, non humano more *loqui* vel *ſcribere* ſimulant: ex quo iam ii quoque *canunt*, qui ne *pronunciare* quidem recte poſſunt, atque *auditores* ſibi futuros ſperant verſuum, qui nonnunquam ſoli typographo *ſcribuntur*, et ab illo duntaxat ſyllabatim *leguntur*. Sed haec et multo plura, quibus noſtrae poëticae ratio et ars ab antiqua *γνησιότητι* differt, ab aliis magiſtris cognoſcenda ſunt. Spernant licebit has argutias noſtras, quicunque Homerum iudicare nequeunt niſi ex noſtris ingeniis, modo fateantur, diverſis ſententiis addictos nos non temeritate duci ad aliter iudicandum.

Nec vero nobis ipſis credibile eſſet, Carmina a vatibus et memoriter compoſita et unius memoriae miniſterio propagata eſſe, (nonnulla enim non ſunt credibilia, quae hiſtoria cogit credere,) neque mirarer, ſi quis vel uni Homero quendam uſum ſcribendi *ἐν ἀποῤῥήτοις* fuiſſe fingeret, niſi vulgatiſſimus olim mos recitandi et omnis hiſtoria rhapſodorum argumentationes et rationes noſtras graviſſime confirmaret. In illa autem eſt maxime, quod ſcrupulos, quibus asſenſus cohibetur, penitus ex animis evellat. Docet enim, quo pacto fieri potuerit, ut aetas *ἀοιδῶν* ſcriptoriam artem vel non deſideraret, antequam Graecae linguae aptata eſſet, vel, quum iam coli coepiſſet, ligno

et aliis operoſioribus maſſis aequo animo relinqueret.

XXII.

Hic prorſus obliti ſcrinia noſtra et bibliothecas, quibus nunc ſtudiorum immortalitas conſtat, transvolemus hinc in alia tempora et in alium orbem rerum, ubi tot inventa, quae nobis videntur ad beate vivendum neceſſaria eſſe, a ſapientibus omnibus et ſtultis ignorabantur. Quid? quod ne nominis quidem immortalitas tum quenquam impellere potuit, ut ei duraturis monumentis proſpiceret; idque de Homero credere, optare eſt, non fidem facere. Nam ubi is tali ſtudio ſe teneri ſignificat? ubi profeſſionem eiusmodi, ceteris poëtis tam frequentem, edit, aut callide disſimulat? Carminibus quidem ſcelera et praeclara facinora famae tradi ſaepe praedicat, at idem noviſſimum Carmen ab audientibus maxime celebrari fatetur [56]). Omnino autem ſatis habuit illa aetas, quaſi ſub nutrice ludendo [57]) et divini ingenii impetum ſequendo, res pulcherrimas experiri et ad aliorum oblectationem prodere: mercedem ſi

[56]) Odyſſ. α. 351.

[57]) Conf. egregios verſus Hor. Epiſt. II, 1, 93. ſqq. in quos commentarii uſum praebet ſagaciſſimi Garvii Disp. *Betrachtung einiger Verſchiedenheiten in den Werken der älteſten und neuern Schriftſteller*, repetita in Collectione Lipſ. 1779.

quam petiit, plauſus fuit et laus aequalium auditorum, praemia, ſi poëtis credimus, ampliſſima, longeque gratiora papyracea immortalitate. Etenim quanta admiratione tum et ipſi vates et cantus eorum excepti ſint, apparet partim ex iis locis Homerici Carminis, ubi Phemius et Demodocus canentes inducuntur [58]), partim ex iucundiſſimo illo ſermone Platonis, in quo Io rhapſodus munus et ſcenam ſuam deſcribit. Nam ſicut hic arte quadam efficere ſe iactat, ut tota theatra quocunque affectu ferantur, ut nunc lacrimas fundant, nunc torvis oculis circumſpectent, nunc gaudium prodant vultu [59]); ita hoc multo magis et naturae propiore arte effectum eſt a vatibus ipſis. Sed quum fere omnia, quae de rhapſodis accepimus, plurimum conferant ad cognoſcendam vitam ἀοιδῶν, utpote quorum in locum illi ſucceſſerunt, pauca nobis de inſigni ordine dicenda ſunt, maximeque ea, de quibus viri docti adhuc minus ſollerter exiſtimarunt [60]).

[58]) Odyſſ. α. 326. ſqq. θ. 62. ſqq. ρ. 518. ſqq. etc.

[59]) Καθορῶ ἑκάστοτε αὐτοὺς ἄνωθεν ἀπὸ τοῦ βήματος κλαίοντάς τε καὶ δεινὸν ἐμβλέποντας καὶ συνθαμβοῦντας τοῖς λεγομένοις. Pag. 535. E. et alibi in eo Dial.

[60]) Optime de iis putatur ſcripſiſſe S. F. Dreſigius in Comment. Lipſ. 1734. 4. Et quae quidem manu congeri poterant, congeſſit ille pleraque omnia; ſed iudicium rerum lectori reliquit. Hoc qui quaerit, adeat ſaltem Gillies Hiſtory of Greece Vol. I. c. VI.

XXIII.

Nam ex iis, quae a Salmaſio et aliis diſputata ſunt de rhapſodis, non intelligitur, eorum potiſſimum curae deberi, quod etiam nunc Homerica tractamus, arteque rhapſodica actioni Graecorum omni, et ſcenicae et oratoriae, viam munitam eſſe [61]): immo hos, quos inſignem ordinem appello, pro leviſſimis hominibus habendos multi docuerunt ex Platone et Xenophonte. Sed hic primus eſt ex tribus erroribus, qui huius rei veritatem pervertunt, quod priſcae illius atque Socraticae aetatis rationes confunduntur. Alterum errorem iam ſublatum puto, quo ex falſa notatione nominis ῥαψῳδοῦ [62]) collegerunt quidam, verſatam

[61]) Inde ὑποκρίνεσθαι ſaepe dicitur de cantu rhapſodorum, ipſique ὑποκριταὶ ἐπῶν vocantur tum a Lexicographis, Heſychio et Timaeo, tum a Diodor. Sic. XIV, 109. XV, 7. Plures autem ῥαψῳδοὺς et ὑποκριτάς, ῥαψῳδίαν et ὑπόκρισιν, ut diverſa, ponunt, uſu magis proprio. Proprie enim τὸ ῥαψῳδεῖν ad omnia genera Carminum pertinuit, a quibus vera actio abeſſet, i. e. ea qua etiam orator caret.

[62]) Παρὰ τὸ ῥάπτειν ᾠδήν, *conſuere ſ. connectere Carmen.* Quae quidem vera eſt etymologia, ſed ex antiquiorum temporum ingenio interpretanda. Quippe aliud eſt, breviora Carmina modo et ordine publicae recitationi apto connectere. ſeu, ut Pindari Schol. ait, εἱρμόν τινα καὶ ῥαφὴν adhibere, aliud centonem conſuere. Quod vero his poſtremis ſaeculis fuerunt viri docti, qui ῥαψῳδὸν atque ποιητὴν ipſa

eſſe operam eorum in verſibus paſſim excerpendis et conſarcinandis ad modum Centonum, quales ex Homero a ſanctis animis facti exſtant, ridiculae ineptiae in ſumma gravitate rerum. Atque abſurdum illud commentum etiam turpius ornatum eſt ab iis, qui circulatorios cantores ſui temporis rhapſodis ſimiles rati, res, quas illi cecinerint, in tabula pictas et bacillo demonſtratas fingebant. Tertius error latiſſime patet, hoc loco nobis in primis coarguendus. Nam quod ante uſitatam ſcribendi artem commune erat Carminibus omnibus, ſingulare Homero inſtitutum fecerunt, eumque vatem, quem ingenii ſui monumenta ſcripto conſignaſſe non dubitabant, unum vel in paucis cantitari et memoriter vulgari ſolitum putarunt. Cui rationi et ipſa res et veterum auctoritas prorſus repugnat. Neque enim unius Homeri, ſed et Heſiodi et aliorum Carmina, omneque epicum genus, mox lyricum quoque et iambicum,

vi nominis eundem putarent eſſe, falſa illos analogia fefellit. Non enim ῥάπτειν aut ὑφαίνειν ita de componendis verſibus dici ſolet, ut de ſtruendis dolis et conſiliis. Adverſatur etiam Pindarus Nem. II., ubi ignaviſſimum in illa ratione epitheton eſſet in verbis, ῥαπτῶν ἐπέων ἀοιδοί. Neque eo, ſed ſimpliciter ad *cantum rhapſodicum*, trahenda eſt locutio ῥάπτειν ἀοιδὴν in verſſ. Heſiodo tributis ap. Schol. Pind. l. c. Sed hic attingi tantum poſſunt iſta omnia.

complexa eſt ars rhapſodorum [63]), fuitque diu haec unica via publice prodendi ingenii, ut etiam Xenophanem poëmata ſua ipſum ῥαψῳδῆσαι legamus [64]). In Homericis autem, omnium praeſtantiſſimis, plurimorum ſtudia haeſiſſe, et quaſi *familiam* quandam exſtitiſſe *Homeridarum*, quae primum apud Chios, deinde alibi hanc artem exerceret [65]), multorum teſtimoniis confirmatur.

[63]) Vide Plat. de Legg. II. p. 658. D., in Ione p. 530. B. Athen. XIV. p. 620. C.

[64]) Ap. Diog. Laert. IX, 18. Quem locum Roſſius nuper in Commentatt. Laert. non melius accepit quam Feuerlinus in Diſſ. de Xenophane p. 21.

[65]) Familiam dico ea ſignificatione, qua familiae appellantur ſectae vel ſcholae philoſophorum, non tanquam ſtirpem et progeniem Homeri. Hanc interpretationem relinquamus vanitati Chiorum ap. Strab. XIV. p. 645., a qua fortaſſe ipſi Homeridae abfuerunt. Qui ſi vere genus ſuum, non artem, duxiſſent ab Homero, paullo certiora de natalibus et vita eius tradere debebant. Neque vero argumentum eſt in locis Pindari, Acuſilai et Hellanici (ap. Harpocr. v. Ὁμηρίδαι), quod vulgarem illam famam confirmet; multo minus in uſu nominis apud Platonem, Iſocratem aliosque ſcriptores. Exſtincta enim celebri familia, translatum eſt nomen ad quosvis Homeri cantores, interpretes, ſtudioſos, uti ap. Aelian. Nat. Anim. XIV, 25. extr. Ceterum quam mature haec res tota obſcurata ſit, veterum Grammaticorum disſenſus oſtendit ap. Harpocr. Suid. et Schol. Pind. ll. cc.

Quamvis vero artis huius nomen videatur poſterius eſſe Homero, ipſa ars et profeſſio iam antiquiſſimis temporibus viguit, ac multo tum quam poſthac fuit illuſtrior. Quoad enim paucorum erat, memoria complecti maiorem numerum Carminum, nondum apertis ludis, quibus illa pueri docerentur, unoque genere eruditorum, ſacris vatibus, tota Graecia circumlatis, etiam eos, qui illorum opera in notitiam vulgi perferebant, praecipuo honore haberi conſentaneum fuit. Quanquam primo quidem vatem quemque fere nonniſi ſua divulgaſſe, vel ex eo apparet, quod rhapſodicae profeſſionis Heſiodus aut aliquis alius ſuppari aetate auctor nuncupatur [66]). Mox autem inde a Terpandro Lesbio Olymp. XXXIV. usque ad Cynaethum Chium, excellentem in primis in arte ſua Olymp. LXIX., eosdem non aliena tantum ſed etiam propria ceciniſſe, nullumque prope fuiſſe rhapſodum, quin idem probabilis poëta eſſet, manifeſta hiſtoriae veſtigia arguunt. Atque ex hoc factum eſſe puto, ut tam multa Carmina illorum temporum, oblitteratis rhapſodorum, a quibus confecta eſſent, nominibus, quum ab aliis et aliis ſubinde repeti ſolerent, tandem falſis auctoribus

[66]) Nicocl. ap. Schol. Pind. l. c. et Athen. l. c. Exploratiora haberemus de hac omni re, ſi ſcripta Dionyſii Argivi, Timomachi, Hippoſtrati, Ariſtoclis, Menaechmi aliorumque, ab illis duobus laudata, ſupereſſent.

asſignata et ad extremum ἀδέσποτα circumferrentur.

XXIV.

Iam etſi Homeri aevo perpaucae artes et opificia a certis hominibus tractabantur, attamen ars ἀοιδῶν tum non minus peculiaris fuit quam fabri aut figuli, quam medici aut harioli [67]), honorem autem publice privatimque habuit longe maximum. Sive enim in oppidis ſuis manebant, ſive varia loca, populorum conventus regumque epulas obibant, cari diis et venerabiles hominibus habebantur. Eadem rhapſodis dignatio, eadem vita fuit, donec res ſenſim cum ſtudiis et moribus hominum immutata, et, argento certaminum praemio propoſito [68]), ad levem quaeſtum deducta eviluit. Verum hoc alias: nunc illud quaeramus, utrum ex libro an memoriter cecinerint rhapſodi, et quali diſcendorum Carminum modo uſi ſint, quando libros non haberent. Qua in re nemo niſi veteris Graeciae plane hoſpes dubitet, quin illi memoriter pronunciaverint omnia: ita iam fecerant priſci vates omnes, trium Muſarum, Μελέτης, Μνήμης, Ἀοιδῆς, cultores; quin adhuc Socratis aeta-

[67]) Vide Odyſſ. ρ. 383. ſqq. Heſiod. Ἔργ. 25. Hymn. in Apoll. 165. ſqq. etc.

[68]) Io ap. Plat. p. 535. E. Ἐὰν μὲν κλαίοντας αὐτοὺς καθίσω, αὐτὸς γελάσομαι, ἀργύριον λαμβάνων· ἐὰν δὲ γελῶντας, αὐτὸς κλαύσομαι, ἀργύριον ἀπολλύς.

te, quum ſcripta exemplaria Homeri a rhapſodis maxime conquirerentur [69]), ipſa recitatio non eſt facta de ſcripto [70]).

Stupes fortaſſe ad tantam capacitatem memoriae, quae totum Homerum complecti potuerit? Mihi vero id etiam parum videtur, multoque plura nonnunquam bonos rhapſodos tenuiſſe ſuſpicor. Etenim ſi etiam tum, quum multiplex doctrina, ad lectionem librorum revocata, cultiſſimaeque vitae negotia obruebant memoriam, Athenis fuerunt liberaliter educati, qui univerſam Iliada et Odyſſeam tenerent [71]); quid ambigis de iis hominibus, qui in tali re aſſidue operam locabant, et illis in ſaeculis, ubi brevior orbis diſcendorum ingeniis quaſi vacuitatem dabat, ſapientiaeque fama longe aliis ſtudiis parabatur? Quid? Plato [72])

[69]) Xenoph. M. S. IV, 2, 10.

[70]) Ineptus videor mihi ipſe, qui talia doceam. Sed ne illud quidem aſſecuti ſunt multi; immo ex Platonis Ione opinionis ſuae praeſidium captarunt, ubi tamen rhapſodo maxime neceſſarium eſſe dicitur *memoria valere* p. 539. E., nihilque aliud ineſt, quod ad uſum exemplarium ſpectet. Denique adde, quod in verbis, quibus rhapſodorum recitatio notatur, nullum eſt, quod illuc pertineat. Dicunt Graeci de ea ᾄδειν, ψάλλειν, μελῳδεῖν, μνημονεύειν, ἀπαγγέλλειν, διατιθέναι, ſimilia, nusquam ἀναγιγνώσκειν aut ἀναλέγεσθαι.

[71]) Xenoph. Sympoſ. III, 5.

[72]) In Phaedro p. 274. E.

quidem atque alii veteres philofophi iudicaverunt, hanc facultatem animi noftri metiendam non effe eorum temporum modulo, quum apparatus fubfidiorum illius culturam impediret; inventas litteras profuiffe difciplinis, fed obfuiffe difcentibus, adeo ut quae inventio medicamen memoriae dicta effet, eadem non immerito noxa eius et pernicies diceretur. Quod veriffime monitum effe, illitteratorum hominum et doctrinae noftrae expertium populorum contemplatio docet. Neque enim nobis opus eft afferre fingularia fpecimina validioris memoriae, ut Hortenfii oratoris, quem Cicero narrat ea, quae fecum commentatus effet, fine fcripto omnia reddere potuiffe iisdem verbis, quibus cogitaviffet, five poëtarum, tum αὐτοσχεδιαζόντων, qui Italis *improvifatores* vocantur, tum aliorum multorum, quos conftat, praefertim interdictos ufu fcripturae, plura millia verfuum et feciffe in animo, et memoriae infixa faepius repetiiffe. Quippe non agimus de raris quibusdam miraculis naturae, verum de *ordine hominum, per totam vitam huic uni arti vacantium, ut vel pangerent Carmina, quae mox canendo divulgarent, vel divulgata ab aliis difcerent.*

Atqui tales fere ordines hominum in aliis quoque populis reperimus, apud Hebraeos *fcholas*, quas dicunt, *Prophetarum*, tum cognatiores nobis *Bardos*, *Scaldros*, *Druidas*. De his quidem poftremis Caefar et Mela referunt [73]), propriam eorum

[73]) Ille B. G. VI, 14. hic III, 2.

fuiffe difciplinam, in qua nonnulli ad vicenos annos permanferint, *ut magnum numerum verfuum edifcerent, litteris non mandatorum* [74]). Quam vellem tantillum nobis Graeci tradidiffent de vatibus et rhapfodis fuis! Nam et horum propriam quandam difciplinam et fingulare ftudium artis fuiffe, pro comperto habendum arbitror. Age igitur, rhapfodicae διδασκαλίας modum, antiquitatis tenebris obfcuratum, fimilium rerum comparatione eruamus. Fuit is, fi quid video, idem, qui diu adhibitus eft in fcena, et tragica et comica, in variis generibus chororum, denique in fcholis et ludis, priusquam fcribendi legendique facultas vulgo frequentari coeperat. Is autem modus qualis fuerit, ipfa vocabula teftantur. De poëtis enim proprium eft et ex re ductum, διδάσκειν δράματα, Latine *docere;* de actoribus, μανθάνειν, *difcere partes:* hinc διδάσκαλοι, ὑποδιδάσκαλοι, ἀντιδιδάσκαλοι, διθυραμβοδιδάσκαλοι et alia huiuscemodi [75]). Nimirum, ut

[74]) Simile quiddam et alias faepe et nuperrime de natione Offiani narratum eft a G. Thorntono in Transactt. of the Americ. philof. Society at Philadelphia Vol. III. p. 314. fqq. In illa natione etiam nunc fenes effe, qui tantam copiam antiquorum Carminum memoria cuftodirent, ut velociffimum fcribam per plures menfes dictando fatigaturi effent.

[75]) Poft ea, quae ex Harpocr. et Hefych. v. διδάσκαλος a nonnullis viris doctis breviter, et a Cafaub. in Athen. VI, 7. didafcaliarum caufa notata funt, nemo, quod fciam, in hanc rem accurate inquifi-

chironomiam, ut reliquos motus corporis, ut totam saltationem actores discebant adspectu praemonstrantium magistrorum, ita etiam verba, praecinente ipso poëta, auditione, non, sicut hodie, e libellis arripiebant. Itaque hoc instituto usi videntur rhapsodi, ut alter alterum doceret coram, mox exercitatio et frequens recitatio artem pararet. Neque sane est, quod hanc rationem incommodam vel memoriae molestiorem putemus hac nostra: certe id quisque nobis concedet, eam non potuisse non multo efficaciorem esse ad optimam pronunciationem atque verborum sententiarumque omnium veram vim et sonum assequendum. Huc accedit, quod acerrima studia auditorum cum summo amore domesticae historiae in antiquis ἔπεσιν haud dubie operam istam facilem et iucundam efficiebant. Quae omnia, ex illorum temporum ingeniis ac moribus existimata, locum non relinquunt dubitationi, qui fieri potuerit illud, quod factum esse historicae rationes pervicerunt.

XXV.

Haec autem reputanti mihi vehementer errare videntur ii, qui putant litteris non usum Homerum statim totum immutari et sui dissimilem reddi necesse fuisse. Id scilicet effecisset vaga auditio, non legitima et bene composita διδασκαλία,

vit, exspectatque ea adhuc lucem suam cum multis aliis, quae ad ludos scenicos Graecorum pertinent.

Verumtamen ipsi veteres a rhapsodis repetebant originem variarum lectionum, in eorumque creberrimo cantu praecipuum fontem videbant corruptionis et interpolationis Homericae. Atque hoc iudicium, ab Alexandrinis Criticis profectum [76], eiusmodi est, ut natura rei cogitantem facile eodem perducat. Neque enim ne tenacissima quidem memoria, a scriptis exemplaribus destituta, non vacillat interdum, et paullatim longius a fide descisit. In primis vero recitatio ipsa, vivido impetu et ardore animi peracta, infirmaverit oportet memoriam, multisque mutationibus causam dederit, in eo praesertim sermone, qui quasi sponte concluderet versum, neque hanc artificiosam concinnitatem haberet, quae aliunde illata respueret, quum omnia tanta simplicitate sententiis verbis conferta sint, omnia ita membratim et incisim decurrant, ut mutandi, detrahendi, addendi ubique maxima facilitas sit. Postremo mirum fuisset, nisi rhapsodi generosioris spiritus, et qui ipsi poëtae essent, passim aliquid a se melius dici posse, alia etiam in auditorum gratiam clarioribus verbis exprimenda, alia denique intertexenda pluribus Carminibus uno filo nectendis putarent. Ut enim ab omnibus intelligerentur et cum voluptate audirentur, summa illorum cura esse debuit, non haec, ut Carmina sincera servarent, qualia primum fude-

76) Servatum ap. Ioseph. extremo loco, quem supra descripsi p. LXXVII.

rat vates. Itaque nominatim Cynaethi familia insimulatur illum tum aliis modis corrupiſſe, tum proprios verſus inculcaviſſe [77]). Quare equidem crediderim, ſi ex talium rhapſodorum ore exceptum hodie exſtaret exemplum Homeri, ab inſequentibus Criticis non limatum, eandem illius faciem futuram eſſe, quam maiores noſtri *Hymni Homeridarum* habent.

Admonet me hoc nomen Hymnorum, ab Hemſterhuſio et aliis eruditis inductum, ut adiiciam aliquid de interpolatione rhapſodorum, ex quo plane appareat, quam illi non alieni fuerint a poëtica facultate, et quam ſine fraude talis interpolatio facta ſit. Prius quidem etiam nullo auctore veriſimillimum eſſet, niſi adeo frigida putes illorum ingenia, ut uſu paene quotidiano optimorum poëtarum non incaluerint ad aliquid ſimile tentandum. Verum, etſi huius aevi tam lacunoſa hiſtoria eſt, Pindarus tamen et Plutarchus [78]) fa-

77) Schol. Pind. l. c. et ex eo Euſtath. ad Il. p. 6. inf.

78) De Muſica p. 1133. C. loquens de modis citharoedicis et rhapſodis antiquioribus: Τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς, ὡς βούλονται, ἀφοσιωσάμενοι, ἐξέβαινον εὐθὺς ἐπί τε τὴν Ὁμήρου καὶ τῶν ἄλλων ποίησιν· δῆλον δὲ τοῦτ᾽ ἐστὶ διὰ τῶν Τερπάνδρου προοιμίων. Ex hoc uno loco diſcimus, non in Iovem ſolum et Muſas, ſed in ceteros quoque deos prooemiari ſolitum fuiſſe. Neque tamen ex Pindaro recte colligas, ſemper *a Iove principium* factum. Comparatio illius, uti Lyricum decebat, ducta eſt a genere maxime illuſtri, i. e. a more celeberrimorum feſtorum et πανηγύρεων. Ceterum ut Pindarus dicit προοίμιον Διός, ſic Thucydides III, 104. partem maioris Hymni in Apoll. ſub Homeri nomine laudans, vocat προοίμιον Ἀπόλλωνος: quo nomine et alii plerique utuntur de Hymnis. Quippe vocabulum ὕμνος latius patet, et ſaepe omne genus ἐπῶν complectitur. Unde illud in fine trium Hymnorum, manifeſtum iſtius moris veſtigium:

Σεῦ δ᾽ ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον.

tis clare tradunt, compoſitos a rhapſodis eſſe Hymnos, quibus ſollenni recitationi Homericorum et aliorum Carminum praeluderent. Itaque poſteriore in primis auctore fretus iam olim Hemſterhuſio duce conieci, ex talibus prooemiis et fragmentis prooemiorum hanc noſtram farraginem Hymnorum conflatam eſſe, addita cauſa, non improbabili fortaſſe, cur illa ſenſim cum Homericis Carminibus confuſa ſint [79]). Nihil enim, ut opinor, interfuit theatrorum iſtorum, exploratum habere, cui quidque deberent, quod auditu dignum eſſet: Alexandrinorum autem tempore, quorum maxime interfuit, nihil videtur ſuperfuiſſe niſi varia et obſcura fama, ut de tot aliis ἀδεσπότοις, quorum partim iam apud Herodotum mentio fit.

Denique de ſollennis iuſtaeque recitationis ratione in publicis conventibus et certaminibus pau-

79) Ad Heſiodi Theog. p. 60. Conf. Mitſcherl. ad H. in Cer. p. 101. et Groddeck Comment. de Hymnorum Hom. reliquiis p. 21.

cissima sunt, quae certa rerum fide tradantur. Unum inter omnes constat, utrumque epos Homeri nonnisi particulatim ac diverso ordine decantatum esse, et particulae cuique vulgo proprium nomen fuisse [80]. Ea nomina exstant tum apud Aelianum et Eustathium in principiis rhapsodiarum, tum apud alios scriptores quam plurimos, qui passim Homerica loca ad illum modum excitant. Sed eae partes ab initio fere longiores fuerunt, neque, ut ex Eustathio colligas, cum Aristarchea descriptione librorum congruentes. Ita Ἀλκίνου ἀπόλογος IV vel V libros Odysseae complectebatur [81]; quod pensum in una sollennitate commode absolvi potuit. In aliis Carminibus, ut in Καταλόγῳ νεῶν, in Κόλῳ μάχῃ, artem rhapsodi spectatam puto, praesertim in legitimis certaminibus, ut cum ceteris apte coirent et elegans ῥαφὴ efficeretur: in quo tamen haud dubie plura per saecula nihil certum et constans fuit, quum res modo a locis ac temporibus recitandi, modo ab ingenio et iudicio rhapsodorum penderet.

80) Instar omnium nobis est auctoritas veteris scriptoris, quem excerpsit Aelian. V. H. XIII, 14.

81) Conf. recte monentem Twiningium in Notis ad Aristot. Poët p. 365. Addo simillimum exemplum ap. Herodot. II, 116., ubi Il. ζ. 289. sqq. laudantur ex Διομήδους ἀριστεία, quo nomine a Grammaticis appellatur Il. E. Quod ipsum una cum tenore constructionis valde adversatur obelo Valckenarii, delentis verba, ἐν Διομήδεος ἀριστείῃ.

XXVI.

Haec omnia, quae accurate exposui de tempore receptae primum apud Graecos scripturae, de prisco pangendorum prodendorumque Carminum more, de rhapsodis, unicis illorum depositariis, quaedam quasi προτέλεια sunt diversae et altioris quaestionis. In hac repente omnis campus disputationis mutatur, evanescunt ferme vestigia historica, et in locum eorum trepide succedit coniectura et ratiocinatio, non quaerens illa, quid Herodotus, quid Plato, quid summus Aristoteles afferat, sed quid ex principiis bene provisis cogatur et efficiatur, id severo iudicio persequens et cum ipsa natura comparans. Coniecturas huiusmodi hodie vulgus infamare solet nomine hypothesium. Dura conditio: nos tamen diu cunctati et exspectantes, dum praefidentior alius hoc auderet, non metuamus diutius famae, planissimeque statim dicamus, quod res est.

Videtur itaque ex illis sequi necessario, tam magnorum et perpetua serie deductorum operum formam a nullo poëta nec designari animo nec elaborari potuisse sine artificioso adminiculo memoriae. Coelo demissum ingenium demus Homero, altissimarum capax cogitationum, quibus divinarum et humanarum rerum omnium scientiam exhauserit; sit ille nobis, ut Velleius ait, sine exemplo maximus et sine aemulo: ac sane nunquam illius luminis splendor iterum exorietur, nisi alteram Graeciam nascentem viderit or-

bis: ſit ille, qui ingenio ſupra omnes eminet, quod praeter naturam eſt, limatiſſimus idem et omni arte perfectiſſimus: ne tali quidem homini tribui poteſt id, quod prorſus humanitatis captum ſuperat, et cui mente complectendo locus et materia et fundamentum deſunt. Etenim ſi priora ἔπη omnia breviora fuerunt, eorumque vulgandorum, etiam ipſius aetate et diu poſtea, unicus modus fuit publica recitatio, talis videlicet, quali rhapſodos ad Cynaethum uſos vidimus; ſi porro minime credibile eſt et nulla auctoritate nixum, plures cantores per aliquot dies ſive hebdomades dierum coactos unquam eſſe ad tanta Carmina auditoribus ingerenda; quae una ratio fuiſſet, ut magnitudo et ſumma eorum, non dicam comprehenderetur, ſed ad extremum audiretur [82]): cogitur, inquam, et efficitur neceſſario,

82) Ariſtoteles quum εὐσύνοπτον μῆκος vidit in Iliade (Poët. 23.), etſi ipſa longitudo eius apud veteres in proverbium ceſſit, de lecta ſic iudicavit, non de audita. Quanquam hoc parvi momenti eſt. Sed notabile eſt, quod Dacer ibi ad c. 24. narrat, Iliada commode perlegi poſſe uno die. Hoc ego legens ſaepe ad Iudaeum Apellam remittebam. Similiter Twiningius: *For a wager, indeed, I will not ſay what might be done, if we had reading races at Newmarket.* Not. p. 478. At ſi hic doctiſſimus vir locum Ariſtotelis inde a verbis, Εἴη δ' ἂν τοῦτο, recte interpretatus eſt etiam Iliada et Odyſſeam εὐσυνοπτοτέρας fore putavit criticus philoſophus, ad tertiam partem verſuum contractas. Quod quidem argumentationibus noſtris accommodatiſſimum eſſet. Nec ea ſententia omnino indigna eſt Ariſtotele, neque reliquis praeceptis eius contraria, probataque nuper etiam alteri interpreti illius operis, Pyeo in Comment. p. 458. Neque nunc doctus quisquam, ſummariis Cypriorum et parvae Iliadis magno emolumento harum litterarum publicatis, ad Dacerii ſententiam acceſſerit, qui nomen *veterum* l. c. ad illa Carmina referebat. Sed duo interpretationem illius loci dubiam faciunt, primum quod de reliquorum ἐπῶν, ante Ariſtotelem proxime editorum longitudine incerti ſumus, tum quod neſcimus, quid in tragica ſcena fuerit μία ἀκρόασις. Nam Diogenis L. III, 56. auctoritas poſt emendationem eximii viri, iſta quatuor nomina feſtorum ad marginem relegantis, adhiberi non debebat; alia vero auctoritas deeſt, qua ſine erroris periculo nitaris. Conf. Barthelemii Diſſ. in Memor. Acad. Inſcriptt. T. XXXIX. Hic autem ad coniecturas confugere, etſi ſummae rei noſtrae profuturas, non vacat.

illi univerſi operis deſcriptioni, rei per ſe forſan non nimis arduae, arduam maxime et plane ineluctabilem vim naturae obſtitiſſe. His omnibus nihil detractum volumus ſollertiae vatis, quae quam parva ſufficiat magnis voluminibus, innumeris documentis conſtat; ſed neceſſarium fuiſſe tantis operibus deſignandis contendimus miniſterium manuum et inſtrumenta, quibus illa notata aliquo modo, ſtatim vulgo aut ſaltem paucis familiaribus integra traderentur. Id Homerus ef-

ficere non potuiſſet *decem linguis*, *ferrea voce* et *aeneis lateribus* [83]); hic ipſi graphium opus erat et tabulae. Quid? quod, ſi forte his inſtructus, unus in ſaeculo ſuo, Iliada et Odyſſeam hoc tenore pertexuiſſet, in ceterarum opportunitatum penuria ſimiles illae fuiſſent ingenti navigio, quod quis in prima ruditate navigationis fabricatus in loco mediterraneo, machinis et phalangis ad protrudendum, atque adeo mari careret, in quo experimentum ſuae artis caperet. Non commemorabo, quam apte ſint in artibus Graecorum omnes gradus et ſucceſſus nexi inter ſe et alii aliis praemuniti, ut, cur quisque ſequatur deinceps, ex ſuperiore via et anteceſſione cauſarum intelligi poſſit. Exempli gratia, pronum fuit ingenio Graeco, ex epicis ἀοιδαῖς mutanda forma ſerere ſcenicam fabulam, et faſtidio quodam, ut fit, eiusdem cantilenae ea, quae in illis narrata erant, perſonis dicenda dare, quaſi ante oculos agerentur: illud nullius nationis ingenio factum eſt, nec potuit fieri, ut quis ad talem ludum prodiret ſine ſpectatoribus, aut longitudo eius ultra 15,000 verſus excurreret. Eodem pacto ſi Homero lectores deerant, plane non asſequor, quid tandem eum impellere potuiſſet in conſilium et cogitationem tam longorum et continuo partium nexu conſertorum Carminum. Saepius eadem repeto: ſed identidem repetendum eſt illud *poſſe*, cuius ex ipſa humana

83) Il. β. 489.

natura vis tanta eſt et firmamentum cauſae noſtrae, ut, niſi illud tollatur, nemo aliis difficultatibus, quibus ea fortaſſe laborat plurimis, angi et ſollicitari debeat [84]).

84) Iacta eſt alea, ad quam certe non imparatus acceſſi. Superſtites adhuc ſunt, (et utinam diu ſint!) memineruntque fortaſſe duo litteratiſſimi viri, quid ego annis 1780 et 1781 de hac re ſecum et ſermonibus et litteris egerim. Ab illo inde tempore ad alias curas digreſſus, raro mihi inter amicos paſſus ſum verbum excidere, quo ſilentium et firmatam opinionem doctorum interpellarem. Etiam in praelectionibus meis multos annos imitatus ſum interpretes doctrinae ſacrae, qui edictorum metu territi non id docent, quod ſibimet ipſis placet, ſed quod eccleſiae olim ex tempore probandum praeſcriptum eſt; neque publice quidquam de dubitationibus iſtis prodidi. Repoſui praeterea ſubinde et abolevi, quidquid illarum mihi notaveram, ſi forte iis ex memoria et animo elapſis ſuccedens alio tempore nova cogitatio ſcrupulos tolleret. Semel adeo puduit me et taeduit plane viae vel erroris mei, lecto Perralti libro de Comparat. vett. et recentt., ubi T. III. p. 35. in contemptionem antiquitatis refert, aliquid ſimile a quodam popularium ſuorum commentatum eſſe et aliquando proditurum. Paullo poſt accipio opuſculum, quod ille minabatur, hominis, Homerum negantis unquam fuiſſe, utrumque autem σωμάτιον conflatum eſſe docentis ex *tragoediis et variis canticis de trivio*, *mendicorum et circulatorum*, *à la manière des chanſons du Pont-neuf;* cetera in eundem modum: et in Prooemio

XXVII.

Difficultates illas, quas mirifica forma et descriptio horum ἐπῶν partiumque dispositio obiicit,

omnino nihil se ex Graecis litteris operae pretium didicisse confirmat. Quod unum est ex paucis, in quibus facile apud omnes fidem inveniat: reliqua somnia sunt et deliramenta. Hominis alioquin non obscuri neque insulsi, aliisque libris etiam in Germania noti, *(Fr. Hedelin Abbé d'Aubignac,)* libellus ita inscriptus: *Conjectures academiques ou Diss. sur l'Iliade*, quum diu latuisset apud Charpenterium et alios, qui, incertum amici an veterum amore, illius editioni moram nectebant, tandem mortuo Hedelino prodiit Par. 1715. 8. Is aliquoties mihi perlectus, ut dixi, taedium attulit opinionis meae, in cuius similitudinem quandam levissima temeritas et inscitia antiquitatis delapsa esset; serioque coepi vulgari quamvis male cohaerenti rationi argumenta conquirere. Nam ne Hedelino quidem a Boilevio, Dacerio et aliis bene responsum videbam. Ita varie annisus, ut historicis difficultatibus alia atque alia via occurrerem, mox denuo vexatus illis, denuoque coactus cedere, conscius mihi sum, nihil me nec vanitati cupiditatis nec sententiae novitati indulsisse, et omnes intendisse nervos, ut ab erroris laqueis caverem. Testes rei habeo multos familiarium meorum, quibuscum per hos proximos annos laborem meum communicavi, provocando eos ad quaerendum verum, et omnia, quae in ipsis Carminibus mihi adversari viderentur, studiose colligenda et sub unum adspectum cogenda. Ac ne nunc quidem haec disputo, ut cuiquam persuadeam,

singulatim expendendas et omnibus viribus atque opibus augendas aliis mandabo. Feci quidem et

cui non ipsa res persuadeat, sed ut, si quid erraverim aut in falsum detorserim, erroris convincar ab acutioribus.

Ne vero Rudbeckianum ingenium induisse videar, quippe qui vel in minimis historicam veritatem sacram rem habere soleam, duorum summorum hominum auctoritatem afferre possum, Is. Casauboni et R. Bentleii, in quorum scriptis non ambigua vestigia exstant eiusdem opinionis. In Casauboni scriptis plura sunt; Bentleii unum est in primis insigne in libro adversus Collinum anglice scripto: *Remarks upon a late Discourse of Free-thinking, in a Letter to N. N. by Phileleutherus Lipsiensis*, cuius primam edit. 1713. et septimam 1737. prae oculis habeo. In utraque harum iisdem verbis §. VII. haec leguntur: *Homer wrote a sequel of Songs and Rhapsodies, to be sung by himself for small earnings and good cheer, at Festivals and other days of Merriment; the Iliad he made for the Men, and the Odysseïs for the other Sex. These loose Songs were not collected together in the Form of an Epic Poem, till about 500 years after.* Quid clarius est hisce verbis? Eaque et satis cogitate scripta, nec ardore digladiandi elisa esse, ex totius loci contextu apparet. Neque tamen haec professio principis Criticorum, tam aperta tamque memorabilis propter ipsum tempus, quo eam edidit, i. e. paucis annis post famosum opus Perralti, seu quod ea in libro potissimum theologis scripto latebat, seu quod multis temere iacta videbatur, ab ullo viro docto ad dis-

ipſe utrumque pro virili parte, ſedulo cavens, ne quid mihi disſimularem aut cupide agerem; ſed haec complurium et diverſa via ingredientium ſtudiis digna cura eſt, in primis eorum, qui vim humani ingenii in hoc genere metiri poſſunt ex

ceptationem vocata eſt; immo a plerisque penitus neglecta, ut a Moneta ad Bailletum T. III. P. I. p. 277., Hedelini caecum impetum narrante, ab aliis, ut a Clarkio, frigide aut tribus verbis transmiſſa, a Popiis adeo deriſa fortaſſe. At ipſe Bentleius, qui ſenectuti ſuae criticam recenſionem Homeri ſepoſuerat, in illa, id quod ex quibusdam indiciis colligo, huic rei ex induſtria lucem daturus erat. Quapropter valde miror, nihil, quod ad hanc quaeſtionem ſpectet, reperiri in criticis libris Anglorum, qui de illius editionis conſilio mentionem faciunt. Digamma Aeolicum eum reducturum fuiſſe, Daweſius et alii operoſe docent. Haec autem narratio de digammate mihi ſaepe dubitationem iniecit haud levem, quid Bentleium coniiciam de antiquitate ſcripturae Graecorum ſenſiſſe, et quibus cauſis, ſi Homerum ſcripſiſſe putarit, hanc Carminum eius epicam formam tanto poſteriorem ponere potuerit. Velim de his certiores nos faciant ii, qui aditum habent ad eius adverſaria et notas Homericas, quae in manus Cumberlandi veniſſe dicuntur in Biographia Britann. edit. ſec. Vol. II. p. 244. Nihil eſt, de quo potius Bentleii iudicium cognoſſe cupiam: et quis non idem cupiat, qui Phalarideae controverſiae iudicem norit? Id dubites, an illius emendationi Homerus tantum debiturus fuiſſet, quantum Horatius debet et Comici.

ſuo ingenio, et iudicium artis ſubactum habent antiquarum litterarum cognitione, Klopſtockiorum, Wielandorum, Voſſiorum. Nam vulgaribus Gallofrancorum praeceptis et formulis epici Carminis faciendi nihil ad ſummam rei proficimus. Neque enim ſatis eſt, artificia utriusque corporis admirari, quae nunc inſunt, primariam quandam et ſimplicem πρᾶξιν, in maxima varietate rerum et eventorum ubique conſpicuam, unum actum ex univerſa hiſtoria Troiani belli, unum heroëm ſelectum, reliqua ad exornandum ſcilicet callide interpoſita; hic omnia ad iram Achillis relata, illic ad Ulyſſis reditum; nihil non bene continuatum, nihil praepoſterum, nihil perturbatum, nihil hians. Plura horum vere dilaudari [85]), quis neget? de

[85]) Continuo falſum eſt, quod poëtam in Iliade univerſo bello artificioſe uſum putant ad ornandum et amplificandum argumentum ſuum. Repetunt hoc ex vett. Grammaticis, in pr. Euſtath. p. 7., qui ineptiſſima in hanc ſententiam affert, contraria etiam, etſi hoc non capitale duco, Ariſtoteleis in Poët. c. 23. Immo illi partim non obſcure ſignificant, totum bellum in Iliade deſcribi. A talibus magiſtris non profectus neutrum in ea fieri data opera fatebitur, nec aliam artem apparere, niſi eam, quam plures hiſtorici quaeſiverunt, qui breves partes hiſtoriae ſingularibus operibus complexi ſunt, vel quam Cicero Lucceio, ſperato rerum ſuarum ſcriptori, commendat *feſtinationis cauſa*, rogans, *ut a continentibus tuis ſcriptis, in quibus perpetuam rerum geſtarum hiſtoriam complecteris, ſecernas hanc quaſi fa-*

Odyſſea maxime, cuius admirabilis ſumma et compages pro praeclariſſimo monumento Graeci ingenii habenda eſt. Nam in Iliade nondum depoſita ſunt certamina virorum doctorum de rerum capite et argumento primario. De quo utcunque exiſtimabitur, et ut ſenſus προεκθέσεως longiſſime pateat, (quippe ſuffeciſſent illi aliquot proeliorum abſente Achille factorum deſcriptiones:) nunquam tamen certis argumentis docebitur, ſeptem illos verſus quidquam ultra promittere quam XVIII rhapſodias. Reliquae non iram Achillis in Agamemnonem et Graecos continent, ſed novam, a priore longe diverſam minimeque illis gravem, id eſt eius irae, quam ſolam iſti verſus deſignant, appendicem. Quodſi omnia Graecorum ad Troiam geſta omnesque rhapſodias uni propoſito ſubiicias, ad *gloriam* quidem Achillis magis quam alius cuiusquam Graeci aut Troiani herois tota Ilias, ad *memorem iram* eius maior tantum pars ſpectat; ut admodum mireris, quod in nullo codice adhuc pro iſto exordio hoc vel aliud melius inventum ſit:

ΚΥΔΟΣ ἄειδε, θεά, Πηληϊάδεω Ἀχιλῆος,
ὅςθ' εἵως βασιλῆϊ κοτεσσάμενος ἐνὶ νηυσὶ
κεῖτο, Ἀχαιοῖσιν τε καὶ αὐτῷ ἄλγε' ἔδωκεν,
αὐτὰρ ἀνιστάμενος Τρωσὶν καὶ Ἕκτορι δίῳ.

bulam rerum eventorumque noſtrorum. Scriptori huius generis adeo ſaepe neceſſe eſt, finitum orbem egredi et priora intexere.

Subabſurdum foret, talem diligentiam ſubtiliorem eſſe dicere quam pro Homerico ſaeculo: nec id dicere auſint ii, quibus προέκθεσις Odyſſeae ab ipſo Homero praepoſita videatur: facerent enim illum adeo infantem, ut quam artem primus ingenioſiſſime quaeſiviſſet, vel prudens certe ex natura et ordine fabulae cepiſſet [86]), eam ne agnoſcere quidem et verbis exprimere potuerit.

Immo vero illud quoque dubium eſt, an Homerus Achillis ſui perſonam eodem loco habuerit, quo eam omnes fere artis magiſtri habent. Nam quum ille ſeriem graviſſimarum rerum non finxerit, ſed fama acceperit [87]), num illa veri parum ſimilia videntur, heroëm fortiſſimum cum copiis ſuis ab exercitu ſecedentem deſiderium ſui movere, ipſumque otiantem Agamemnoni et Graecis plurimum negotii et curarum exhibere, mox audacius irruentibus Troianis revocari, at aſperum et inexorabilem virum negare primum et tergiverſari, deinde communi periculo concedere amicum, tandem, illo Hectoris manibus caeſo, ipſum ul-

86) Ἢ διὰ τέχνην ἢ διὰ φύσιν. Ariſtot. Poët. c. 8.

87) Nam nec omnia ad veritatem vel ex corrupta veritate narrat illorum temporum poëſis, neque omnia fingit, ut olim putabant viri docti. Sed fruſtra plerumque laborant, qui utraque diſcernere volunt. Praedixerunt Muſae:

Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα,
ἴδμεν δ', εὖτ' ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.

ciſcendi cauſa redire ad pugnam, votique compotem iure belli in Hectorem ſaevire? Num, ſi Thucydides vel Xenophon hunc annum in annales retuliſſet, Achillem, quum ſeceſſionem feciſſet, deſcribere poterat minus deſideratum, aut, quum revocaretur, minus honoratum minusve pertinacem, aut denique, quum veterem iram nova expuliſſet, minus inſignem, acrem, fortem, generoſum? An tu mirum putas, et non naturae, ſed artis, in tot mythis illius belli unum fuiſſe, qui continuatione quadam concinnum et partibus ſuis abſolutum Carmen exhiberet? Anne, illis conceſſis, opinaris, multo diverſum opus exiturum fuiſſe, etiamſi quatuor poëtae telam detexuiſſent? Felicem dicas populum, utpote magnorum geſtorum fecundiſſimum, cui Carmina prope ſponte naſcantur, quae aliorum populorum intentiſſimis ſtudiis et artibus non proveniunt! Rideas licet: verum ita plura nata ſunt ingenio Graecorum, quibus profecto careremus, niſi illi exſtitiſſent.

XXVIII.

De Odyſſea maior eſt dubitatio et propriae curae. Non quia omnia in illa ad reditum Ulyſſis referuntur: quis id miretur in ἀοιδαῖς, quae errantem et patriam quaerentem et reducem Ulyſſem proponunt? ſed quod Penelopae et Telemachi fortuna domeſticaeque calamitates herois congrua ratione temporum ac tenore rerum ſic iunguntur cum externis caſibus eius, ut ſtatim a limine in

medias res abstracti ſemper ad exitum feſtinemus, atque redeuntem eum et quiete poſt tot labores exantlatos pacatoque regno fruentem maxima animi ſollicitudine videre cupiamus. Unde fit, ut Odyſſeam nemo, cui omnino priſcus vates placeat, niſi perlectam e manu deponere queat. At illa ars id ipſum eſt, quod vix ac ne vix quidem cadere videtur in vatem, ſingulas tantum rhapſodias decantantem, quippe qui, ut ad cogitationem talis artis accingi potuiſſet, vel apud exquiſitiſſimos auditores Aſpendii cithariſtae modo intus cantaturus fuiſſet. Igitur Telemachi iter ad Neſtorem et Menelaum, Ulyſſis ſeceſſus in Ogygia inſula, item pulcherrimum Carmen, in quo errores ipſe ſuos Phaeacibus denarrans inducitur, eodemque modo etiam reliqua, h. e. ſeorſum et nulla ſpectatione univerſae formae, ab Homero compoſita videri poſſunt, diuque decantata eſſe, priusquam aliquis politiore et abundantiore artibus aevo animadverteret, ea paucis recidendis, addendis, mutandis ad perpetuitatem unius magni corporis redacta, novum quaſi et perfectius ſplendidiusque monumentum fore.

Eandem rem forſitan fruſtra experti fuiſſent Graeci in aliis Νόστοις, quo nomine plura exſtabant antiqua Carmina, quorum ne auctores quidem nobis ſatis noti ſunt [88]). Sed nullius error

[88]) Qui enim a Caſaub. in Athen. IV, 14. extr. aliisque laudantur, fere ſunt recentiores, et ab illis Homeri aequalibus materiam ſuam petierant.

tam longus tamque diſiunctis in locis fuerat quam Ulyſſis, nullius tam mirabiles terra marique caſus et ludibria fortunae fama divulgaverat, ut iure liceat ſuſpicari, tantam copiam huius generis Carminum de alio nullo ſuppetiiſſe. Iam et hic et in Iliade eo fere omnis redit dubitatio, an, ſi ex toto quatuor vel quinque maiores rhapſodias excerpſeris, unamquamque trium pluriumve librorum, in iis ſeorſum poſitis eius ſummae, quam nunc omnes admiramur, veſtigia vel tantummodo vincula magnae compagis primitus deſignatae deprehendas. Scio quam difficile ſit, Ariſtotelem et ceteros ſcriptores artium oblivifci, qui multo poſt, quam partes hae firmiter coaluerant, inde praecepta ſua duxerunt: at quidni iucundum ſit, ſemel et iterum ex illarum contemplatione antiquiſſimae poëſis ſpecimen capere? quam inter omnes convenit ad Homerum usque nullum longius et huius formae opus protuliſſe [89]). Mihi quidem, fateor, quoties in illud priſcum aevum, quantum poſſum, animo redeo, minime diſplicent iſto modo lecta haec Carmina, neque in ingenioſiſſimo adoleſcente ſenilem ſapientiam deſidero. Quan-

[89]) De Ariſtotele quid audeam, video. Sed in eadem paene haereſi ſum, quam nuper profeſſus eſt auctor elegantis libelli: *Parallelen*, p. 14. ſqq. Deinde quod convenire dixi de poëſi ante Homerum, id non ſola coniectura nititur, ſed ipſorum veterum auctoritate, qui illorum canticorum argumenta et

quam non tam ſapientiam et praeſtantiam artis, quam tantae et tam varie episodiis diſtinctae perpetuitatis cogitationem ab Homeri loco et indole alienam eſſe contendo. Nam neque ars et iunctura illa, etſi ſummas laudes meruit, ita callida eſt et ſubtilis, ut eam ingens ingenium, neceſſariis ſubſidiis inſtructum, vel ſine exemplo asſequi non potuiſſe; neque vero eadem, ut opinor, in maximo olim numero rhapſodiarum, ita difficilis repertu fuit, ut poſterioris aetatis ſtudiis et elegantiae non tribuenda videatur. Atque haec ratio eo probabilior fiet, ſi ab ipſo primo auctore filum fabulae iam aliquatenus deductum eſſe apparebit.

XXIX.

Sed illud forſan ludere eſt, non ratiocinari, praeſertim in tanta auctoritate vulgaris perſuaſionis. Quid ergo, ſi Ariſtotelis leges epicas, quatenus illa perſuaſione nituntur, obturbemus vocibus Grammaticorum veterum omnium, quorum nullus ſupereſt, qui novis acuminibus de primaria actione Iliados proludat? Conſentiunt enim omnes, in Iliade contineri *geſta Graecorum et Troianorum*

nomina ſatis multa proferunt. In oculis eſt, praeter Velleium et tot ſimiles laudatores, Ariſtoteles c. 24., qui aliquot virtutibus epici poëmatis enumeratis apponit: οἷς πᾶσιν Ὅμηρος κέχρηται καὶ πρῶτος καὶ ἱκανῶς. Ita plerisque ille eſt et *primus* et *omnibus numeris abſolutus*.

ad Ilium, et, ſi quid addunt, *fortia facta Achillis.* Ita in primis clare auctor libri de Homeri poëſi, qui ſub Plutarchi nomine editur; ita Euſtathius ubique [90]). Hic tamen illud prius ſolum conſtituit ſummam Carminis, inſuper abſurde docens, Achillem in eo prae ceteris heroibus tantopere ornatum eſſe, quia Homerus hunc prae ceteris dilexerit. Abſurde, inquam, hoc, et ex vetuſto errore, qui poëtam omnis fere materiae rerum ſuarum inventorem faciebat. Verum quis, qui Grammaticorum fontes norit, non impenſe demiretur, ne Alexandrinos quidem Criticos veram vim argumenti Homerici perſpectam habuiſſe, quam noſtra aetas, quanquam non eodem modo, iam dudum asſecuta ſit? Inepti ſunt Alexandrini iſti, inquit, defixi in vocabulis et ſyllabis, videlicet nati ante inventam philoſophiam, quam dicimus, artium. At ne vates quidem ipſe fuit philoſophus, quem tantam artem ſummae actionis per ambages epis-

[90]) Ut in Prooem. p. 8. Ὅτι ἐκ τῆς τοῦ Ἀχιλλέως ἀρξάμενος μήνιδος, ἀφηγήσεται τὰ ἐν αὐτῇ συμβεβηκότα κακὰ, οὐ μόνον τοῖς Ἀχαιοῖς, εἰ καὶ τούτοις ἐπὶ πλέον, ἀλλ', ὡς εἰκὸς, καὶ τοῖς Τρωσίν. Pertinet hoc cum aliis, quae ibidem disputantur, ad celebrem quaeſtionem, cur narrationem demum ab ira Achillis exorſus ſit Homerus. Diverſa fatuae ſuperſtitionis quaeſtio fuit, cur ſplendidiſſimo operi foedum et infauſtum nomen μήνιδος praefixerit. Alterutram aut potius hanc, quam nuper ex Scholiis dicimus, ridet Lucian. T. II. p. 117., ubi Hedelini ſomnia acerbe exagitantur a Moſe Solano.

odiorum volvendae abscondiſſe narrant. Nam absconditam illam eſſe oportet, quandoquidem praeter Ariſtotelem et ante eum pauciſſimis veterum ſuboluit [91]).

Gravis hic in primis haberi debet auctoritas Cyclicorum poëtarum aliorumque, qui Homero aetate proximi fuerunt. Pauca ſunt, quae de illis

[91]) Novum hoc auſum eſt, cui tuendo una plagula non ſufficiat. Plerique ſibi id videbuntur ex Horatio ſatis refutare poſſe. Quod quemadmodum ſint facturi, ipſi viderint. Nos nunc de *communi opinione antiquitatis* quaerimus, quae cognoſcenda eſt ex antiquis Intpp. Iliados, ex rhetorum et ſimilium ſcriptorum locis. Haec omnia conferant illi neceſſe eſt, antequam aliquid gravius in meam audaciam ſtatuant. Omnino vero utiliſſimum eſſet, undecunque collecta unum in locum habere, quae in libris veterum vel praecepta de arte poëtica, vel iudicia de poëtis ſuis ſparſim leguntur. Docerent ea, ni fallor, cum optimis, quae exſtant, Carminibus comparata, *quam ſero Graeci in poëſi didicerint totum ponere*, ac ne Horatium quidem, qui illud praecipit, eius praecepti eosdem fines ac noſtros philoſophos conſtituiſſe. Erunt haec praecipue ei disquirenda, qui dramata Graecorum ad antiquae artis leges exigere volet. Quodſi in his ſaepius ab hiſtorica ratione deflexit Ariſtoteles, tanto magis admiranda eſt viri perſpicacitas, qua ſaeculum ſuum praecucurrit.

constent [92]), etsi eos magnam partem adhuc Nonnus cum aliis antiquitatis studiosis gnaviter tractavit. In illis paucis, quae scimus, hoc est maxime memorabile, quod Cyclici omnes haec Homerica artificia vel non animadverterunt, vel ab aequalibus animadversa imitari aut noluerunt aut non potuerunt. Etenim legat nobis aliquis epitomas illas Cypriorum et aliorum quinque Carminum nuper editas [93]), et experiatur, an in ullo eorum primarium heroëm, aut primariam actionem, aut repetitam ex mediis rebus narrationem, qualis in Odyssea est [94]), reperiat. Percense item reliqua illius aevi epica Carmina sive Carminum argumenta, Genealogias deorum et heroum, Dionysiaca, Thebaidas, Epigonos, Naupactica, alia; unum quidem heroëm in nonnullis, (nam fuerunt plura perbrevia,) in nullo unam vel primariam actionem, episodiis ad modum Iliados intertextam, deprehendes. Magno auctore id affirmo, non coniectura ductus. Ita enim Aristoteles ubique praedicat de Homero, ita eum propter istam ipsam rem ceteris in eodem genere omnibus anteponit,

92) Collecta haec, vel, ubi viri docti collegerint, indicatum in Fabric. B. G. T. I., cuius praec. vid. p. 379. sqq. nov. ed. et Heynii copiosissimum Exc. I. ad Virg. Aen. II.

93) In ineditis Fasc. I. Bibl. antiq. litt. et artium novissimae Goetting.

94) Nam in Iliade naturalis est ordo rerum gestarum, nec initium primae rhapsodiae lectorem aliter ducit

ut nullus eorum hac in re ducem et principem suum imitatus esse videatur, ne Pisander quidem aut Panyasis aut Antimachus, qui secundum Homerum optimi numerati sunt, nedum antiquiores et Cyclici. De quibus novum argumentum ducendum est ex ipsa ratione Cycli, qualem eum ex loco Lycii Procli apud Photium cognovimus. Quippe fuit ille multorum ἐπῶν, ab initiis rerum usque ad mortem Ulyssis deductorum, collectio, omnem prope fabularem historiam *perpetua et naturali serie* complectens. Ex quo uno satis apparet, Cyclicos poëtas res suas eodem ordine, quo deinceps consecutae essent, non ad formam Odysseae nostrae, narravisse.

Quae quum ita sint, quis putet illos omnes eam artem, quae tam eximiae perfectionis causa est, si ab Homero adhibitam vidissent, aut non intellexisse, aut intellectam aemulari noluisse? Nam ne non potuerint, ne ingenium tali praestantiae impar attulerint omnes, vereri nemo iure potest. Ac ne Hesiodus quidem, quem tamen Critici praecipuo loco in numerum retulerunt, quidquam ad illum modum cecinisse putandus est. Arguunt hoc Ἔργα, nec cum Alexandrinis, nec cum Lucretio

in medium cursum rerum, atque ut fit in ceteris rhapsodiis plerisque: v. c. in Ἀριστείαις, in quibus illud quoque notabile est, quod heroës plane sic producuntur, quasi antea non comparuissent. Vid. in pr. Λ.

aut Virgilio comparandum opus, neque multo absolutius quam Theognideae sententiae [95]); arguunt alia, eidem olim dubio rumore tributa. Denique etiam postremorum temporum poëtae quodammodo ostendunt, se de artificioso contextu Iliados a Grammaticis non dissensisse. Quam inepto enim consilio is, quem vulgo Quintum Calabrum vocant, rhapsodias suas velut maturius abruptae Iliadi supplementum attexuisset, nisi exempla priorum temporum ante oculos habuisset! Culpamus quidem eum, tanquam rudem praeceptorum, quae nunc pueri ex Batteusio discunt: num minus culparemus, si forte Iliada in reditu Achillis finitam, atque inde ad Hectoris funus ab illo suppletam haberemus? Accommodare et subiungere se rebus scit philosophia artis, non raro etiam fortuitis. Catalogum copiarum si non legeremus Il. B., illa nihil, puto, omissum quereretur; forsitan adeo eam partem historici, non poëtae esse docuisset, ridendumque esse, qui heroum notitiam absque ea mancam existimaret [96]).

XXX.

At licet veterum plerique artificium structurae et compositionis Carminum Homericorum vel assecuti non sint, vel minus accurate, quam hodie solemus, existimarint, tamen quin insit in iis aliquod, dubitari nullo pacto potest. Sin autem dubitamus, Homerine id sit, an ab aliis ingeniis, invitante ipso argumento eorum et ordine fabulae, adscitum, quaestio haec est eiusmodi, in qua non, quid poëticis legibus consentaneum aut poëtae honorificum putemus, spectandum sit, sed quid ex historicis et criticis rationibus verisimile esse videatur. Etiam hanc quaestionem pono tantum, non pertracto: est enim immensae materiae, nec necessaria proposito nostro. Interim duae res hic paucis attingendae sunt, quae vel solae suspicionem compagis manibus alienis factae in utroque Carmine commoveant.

[95]) Legitimi Carminis didascalici, id est eius, in quo una ars sive doctrina sive aliquod argumentum unum continenti tractatione partium absolvitur, prima specimina reperimus in Xenophanis, Parmenidis, Empedoclis opp. περὶ φύσεως, quorum utinam fragmenta edant, qui collecta servant. Mox neglectum id genus ab Atticis, qui prosae ad doctrinarum usum excolendae utilius studebant, perfecerunt Alexandrini, a quibus venit ad Romanos, et ab horum ingenio nova ornamenta accepit. Huic generi prolusum est, non exemplum datum ab Hesiodo et Gnomicis.

[96]) Hic nobis in mentem venit argumentorum ridiculorum, seu, ut Gell. III, 11. ait, *admodum levium*, per quae Attius ostendit Hesiodum Homero natu priorem. *Quod Homerus*, inquit, *quum in principio Carminis Achillem esse filium Pelei diceret, quis esset Peleus, non addidit: quam rem procul dubio dixisset, nisi ab Hesiodo iam dictum videret* etc. Haec quomodo illuc pertineant, unusquisque videt.

Alterius generis ſunt eminentes aliquot et hiantes commiſſurae, quas per vices ſaepiſſime repetitae lectionis reperire mihi viſus ſum, et easdem et iisdem in locis, tales, ut eas non cum primo opere fuſas ſed poſterioribus curis illatas eſſe, ubi uno aut altero exemplo demonſtravero, quemvis ſtatim conceſſurum, ſeu potius ipſum plane ſenſurum arbitrer. Qua in re ſi per tot ſaecula nemo offendit eruditiſſimorum lectorum, quum neminem mediocri ſollertia in ea offendere non poſſe putem, haec fortaſſe una cauſa fuit, quod perpetua ſeries Carminum, tum praeconiis multorum ſcriptorum tum ſua ſpecie fallens, eius rei cogitationem longe amovebat, et quia omnes prope natura ſic comparati ſumus, ut disſoluta coniungere libentius quam iuncta disſolvere ſtudeamus.

Quo tempore igitur haec primum cum amicis quibusdam communicabam, probe memini, quantum illi diffiderent ſuſpicionibus meis, totque ſaeculorum praeſcriptionem et ſilentium opponerent. Paullo poſt in uno locorum illorum, in quo futuram adventitiae artis latere ſuſpicatus eram, ex inſperato qualiscunque auctoritas veteris Grammatici coniecturae meae ſuccurrit. Eſt is locus Il. σ. 356 — 368., ut leniſſime dicam, frigide et inepte iacens inter res Troianorum Graecorumque et inter Thetidis adventum in Olympum. De iſtis verſibus in accuratioribus Scholiis longa disputatio excerpta eſt Zenodori cuiusdam, unde

praecipuum quod tollam, hoc eſt, eos verſus non ex vulgari interpolatione, nec a Grammatico aliquo, ſed a primis διασκευασταῖς duabus rhapſodiis nectendis adiectos eſſe [97]). Atque eiusdem modi emblemata in Odyſſea videre mihi videor plura, et unum adeo manifeſtum, ut ex iis, quorum iudicio hoc ſpecimen ſpectandum ſubiicio, adverſarios mihi perpaucos fore ſperem.

Odyſſ. δ. 620. ubi citius, quam velis et exſpectes, a dulci colloquio Menelai abſtrahimur, redituri ad illud libro XV., qui Telemachi reditum deſcribit, quatuor ſequuntur verſus ipſa orationis inſolentia et ambiguitate duriſſimi, nihilque Homerici coloris habentes. Cuius culpae quidem in omni reliqua parte IV. libri aliquammulta veſtigia notavi, quibus non abſurde leviore hoc periculo praeludatur. Nam de illius loci ambiguitate, culpa minime Homerica, praeſertim in rebus tritiſſimis, nemo doctus dubitabit, et iam olim in ea laboraſſe et disſenſiſſe putarim interpretes, quorum copiis in Odyſſea nunc ſaepiſſime caremus.

[97]) Διεσκευασμένον τοῦτον τὸν τόπον. De hoc verbo διασκευάζειν, quod male accepit Mer. Caſaub. de Hom. edit. Hack. p. 167. collect. Almeiov., paullo mox videbimus. Scholion, unde illud didicimus, Porphyrii eſt, primum nobis e Cod. Leid. oblatum a Valckenario in Diſſ. cum Urſino edita p. 137., (nam Barneſ. Excerpta MSS. nihil certi attulerant,) nunc in ordine vulgatum ex Ven. B. Sed hic in primis deſideramus antiquiorem A.

Eustathius quidem, nimis contractis in ea Scholiis usus, δαιτυμόνας non, ut Homeri et omnium scriptorum consuetudo poscit, *convivas*, sed *convivatores*, τοὺς τὴν δαῖτα ἑτοιμάζοντας [98]), interpretatur; (idque fieri necesse est, si, quod auctor procul dubio voluit, proximum οἱ pertinet ad δαιτυμόνας;) tum ἀλόχους, non minus invito usu loquendi, *ancillas*, utpote concubinas procorum: omnemque locum sine ulla haesitatione ad aulam Ulyssis refert, non Menelai. Plerique contra recentiores Intpp. non ita facile se a Menelao abduci patiuntur. In quibus Barnesius humane, ut ait, lapsum condonat Eustathio, quem equidem in sua opera compilandi ne labi quidem tali modo potuisse credo; ipse vero ἀλόχους *uxores* nescio quas *filiorum Menelai et amicorum* accipit, de altero vocabulo tacet. Daceria, in utroque Eustathium sequens, tamen et ipsa adhuc Spartae moratur. Ac forsan hos et alios plures illud movit, neque sine causa, quod θεῖος βασιλεὺς in hoc contextu ita dictum videtur, ut aliquis ab Ulysse nominatim appellato distinguatur. Sed rursus μῆλα ἄγειν in memoriam revocat procos, αἰεὶ μῆλ' ἀδινὰ σφάζοντας, servisque vel famulis, coenam apparantibus, ipsi μνηστῆρες v. 625. bene iuncti videri possunt. At quidquid horum verum est, et ubiubi sit transitio ad res Ithace-

98) Et hanc rationem vulgo olim traditam puta. Ita brev. Schol. οἱ ἑστιάτορες, Hesych. h. gl. extrema, μάγειροι, similiter Etymol. M. p. 252.

sias, perplexe illa fit et ingratissime, neque hic Homerum canentem audimus. Itaque nisi scirem, quam facile in tanto opere minores offensiones obumbrentur magnarum partium nitore, mirarer nullum Criticorum, vates hos ad vulgarem normam emendantium, adhuc exortum esse, qui quatuor molestis versibus deletis locum similem faceret illi ρ. 166., seque primis politoribus horum Carminum adiungeret. Qui si illud olim fecissent, uti eos alibi saepe fecisse credibile est, vel etiam v. 625. initium novi libri posuissent, certo credo futurum fuisse, ut tantulum acumen ingenia omnium temporum deluderet. Iam praeter opinionem res cecidit. Nam etsi vetustissima aetas Graecorum in edolando, ornando comendoque hoc poëta omne studium collocavit, reliquit ea tamen Pylaemenem nimis cito fati sui oblitum, et similia plura, quae Critici postea, unice quaerentes, quid ἐποποιΐας tenori et arti conveniret, obelis et emendationibus suis ad ordinem et concordiam redigere conati sunt [99]).

99) Nonnunquam minus feliciter vel constanter. Ut in illo Pylaemene, filio Harpalioni in funus prodeunte Il. ν. 658., quum ipse occisus esset ε. 578. De quo nobis plures rationes illorum propinant Scholl. et Eust. Earum nulla, si quid video, vera est, una longe ineptissima, qua corrigitur, μετὰ δ' οὔ σφι πατὴρ κίε. Hanc tamen Barn. ornavit proprio versiculo. Alii nuper ipsum poëtam oblivionis accusabant: quod commentum nulli, puto, Aristar-

XXXI.

Fuerunt aliquando philoſophi, qui hanc omnium rerum ac corporum compagem et univerſitatem non mente numineque divino factam, ſed forte et caſu natam atque concretam eſſe ſtatuerent. Non metuo, ne quis me ſimilis temeritatis accuſet, quum veſtigiis artificioſae compagis et aliis gravibus cauſis adducar, ut Homerum non univerſorum quaſi corporum ſuorum opificem eſſe, ſed hanc artem et ſtructuram poſterioribus ſaeculis inditam putem. Neque enim id repente fortuito factum, verum coniuncta in hoc plurium aetatum hominumque ſtudia reperimus. Ut autem ea, quae fieri non poſſunt, facta credere ſtultiſſimum

chorum veterum probatum fuiſſet. Nam alius quidem in his rebus aliam famam, aut idem in diverſis ſcriptis diverſam ſequi poteſt, non idem in eadem variare, et quidem brevi intervallo unius operis. Denique tale quid excidere poteſt recentiori poëtae, fabulas operoſe colligenti, non ἀοιδῷ, qui in hac doctrina habitat. Melius certe olim quidam utrumque verſum expungebant, quae breviſſima ſane via eſt ad omnem diſcrepantiam et difficultatem tollendam. Aliis vero locis illos ſive incuria ſive prava religio deterruit, quo minus omnia eiicerent, quae rerum ſummam et aequabilem tenorem turbarent. Ut, ne alia nunc congeram, in ipſa chorographia agri Troiani aliquid relictum eſt diſcrepantiae, nec ſublatum ab iſtis, cuius cauſa nemini auctor ſim, ut denuo longum iter ſuſcipiat.

eſt, ita cavendum etiam illud, ne oculorum noſtrorum acie naturae et rerum fines metiamur, et quod non ipſi fieri viderimus, id fieri omnino non poſſe opinemur. Sed pergendum eſt nobis ad alterum genus argumentorum, ex quo, etiamſi reliqua omnia tollerentur, inexplicabilis dubitatio naſceretur de univerſa forma horum Carminum. Eſt ea nunc, inquit, talis, ut nec addere quidquam nec demere ſalvis legibus elegantiae liceat. Audio, et ex parte plane video, illisque διασκευασταῖς habeo gratiam. At nonne omnibus erit manifeſtum, eos his operibus conformandis propriam artem adhibuiſſe, quum demonſtratum fuerit, in utroque non modo, quod ante oſtendebam, particulas quasdam, ſed totas rhapſodias ineſſe, quae Homeri non ſunt, id eſt eius, a quo maior pars et priorum rhapſodiarum ſeries deducta eſt?

Conſtat iam olim dubitatum eſſe ab Ariſtophane Byz. et Ariſtarcho, non nimis audacibus in hoc genere Criticis, de auctoritate extremorum Odyſſeae inde a ψ. 297. Eademque dubitatio iniecta eſt etiam de Iliados Ω. [1]). Neutrius quidem

[1]) De Odyſſea vide Schol. ad v. c. et Euſtath. p. 1948. 47. ibidemque Clarkii, Daceriae et Popii Nott., ubi Ariſtarchea ſententia et novi adiutores eius refelluntur, Caſaubonus et Rapinus: de Iliade Ienſii Obſſ. de ſtilo Hom. p. 290. et Daweſ. Miſcell. crit. p. 152. ſqq. contraque hos Ern. ad ω. 1. Quanquam Daweſius primus etiam Il. Υ totam vel

dubitationis cauſae in neutram partem adhuc a quoquam explicatae ſunt, illorum autem veterum diſputationes parum fideliter nobis traditae: nam eos hiſtoricis rationibus et antiqua fama ad confirmandam rem uſos eſſe veriſimillimum eſt: tamen aliquid dictum eſt ab iis, qui dubitationes attulerunt, nihil ab his, qui eas diſcutere volebant. Etenim illi inuſitata Homero et ingenio eius indigna plura ſe in his duobus libris deprehendiſſe affirmabant, hi vel antiquitatem eorum et pulchritudinem probabant Virgilii et aequalium ſcriptorum auctoritate, (quaſi non longe antiquiores, Plato et Ariſtoteles, eos pro Homericis laudarent,) vel neceſſitatem ad iuſtorum operum formam et menſuram implendam. Quod argumentum quale ſit, facile apparet, pudetque nos, illud refellere. Eo enim nihil aliud docent, niſi quod ipſi parati eſſent haec complementa addere, ſi nondum exſtarent: etſi de Iliade non demonſtrant, ex regulis ſuis, cur ea potiſſimum in tumultuaria deſcriptione Hectorei funeris terminetur. Nam de Odyſſea, quod volunt, plane efficiunt. In hac ſuus quemque ſenſus docet, ſi extrema illa deeſſent, ſollicitos nos abituros eſſe de Ulyſſe, tantarum difficultatum victore, quandoquidem ei tum maxime

magnam eius partem Homero indignam iudicaverat. In Odyſſea praeterea codd. aliquot indicium habent illius ſuſpicionis, ut Clarkianus a Th. Bentleio collatus, et duo Vindobb. V. et CXXXIII.

metueremus a parentibus et cognatis caeſorum 108 nobilium iuvenum, niſi amneſtia et pax fieret deorum interventu et ſubita μηχανῇ.

Quid ergo, ſi eam ipſam partem cum aliis nonnullis, quibus iuſta compoſitio Carminis carere nequit, Homeri non eſſe, ſed ab aliquo ingenioſo rhapſodo proxime inſequentis aevi compoſitas, omnibus, quae in hocce genus rerum cadunt, argumentis doceri poteſt? Quid, ſi idem poteſt de VI poſtremis rhapſodiis Iliados? Equidem certe quoties in continenti lectione ad iſtas partes deveni, nunquam non in iis talia quaedam ſenſi, quae, niſi illae tam mature cum ceteris coaluiſſent, quovis pignore contendam, dudum ab eruditis detecta et animadverſa fuiſſe, immo multa eius generis, ut, quum nunc Ὁμηρικώτατα habeantur, ſi tantummodo in Hymnis legerentur, ipſa ſola eos ſuſpicionibus νοθείας adſperſura eſſent. Sed hunc ſenſum meum nemini pro ratione venditabo, ſatis gravi nuper exemplo edoctus. Quem enim Hymnum plerique prae laetitia novi ἑρμαίου tam ſimilem Homero quam ovo ovum putabant, eum alii indignum vate, at antiquiſſimum et Homeridae alicuius fetum, Pindemontius haud priorem Alexandrinis, Ignarra centonem Moſcoviticum vocabat, e Pauſania et aliunde corraſis antiquis verſibus infima aetate conglutinatum. Ruhnkenius quidem, optima ſententia dicta, res, inquit, a peritis ſentiri poteſt, imperitis, quid ſit, explicari non poteſt. At hoc utrumque multo difficilius eſt

in iis Carminibus, quae unius vel duorum saeculorum spatio disiuncta, aequabili in universum et ceteris simillima facie fallunt. Quippe *in universum* idem sonus est omnibus libris, idem habitus sententiarum, orationis, numerorum. Quare necesse erit excutiatur aliquando accuratissime, quid illa extrema legentem unum ex multis isto sensu imbuerit, quae insolentia sit in vocabulis et locutionibus, et qualis, (nam ipsa Il. A. quaedam habet ἅπαξ λεγόμενα,) quid diversum et disparis coloris in sententiis et conformatione earum, quae vestigia lateant alienae imitationis in iis, quae expressa sunt ex Homero, ubi nervi deficiant ac spiritus Homericus, quid ieiunum et frigidum sit in locis multis, ut Il. Φ. 273. sqq. et in magna parte τερατολογίας huius libri, ut in proximo X, ubi tamen plura nitent, (ita nitent etiam multa in Theogonia et in Scuto Herc.,) ut ψ. 88. sqq., ut ω. 247. sqq. 602. sqq., ut Odyss. ψ. 310. sqq., ut ω. 24. sqq. De his et aliis pluribus disputandum erit alias singulatim et intentissima cura, qua res tanta digna est. Nunc haec subnotasse satis habeo, nihil curans, quantum inde momenti ad superiora argumenta accesserit.

XXXII.

Pergamus ad ea, quae Graeci consensu tradiderunt de vetustissima historia horum Carminum, tenues et obscuras per se reliquias, nec illis ipsis

satis intellectas, nobis autem iam non omni luce carentes.

Primum Homeri poësis a Lacedaemonio Lycurgo ex Ionia in Peloponnesum illata esse dicitur. Quatuor nobis exstant huius rei testes [2]), in his primus et aetate et auctoritate Heraclides Ponticus, qui Carmina a Creophyli posteris accepta refert. Hic Creophylus, quamvis homo fabulosus, quum in antiquissimis Epicis et amicis Homeri numeretur, eius posteros coniicias fuisse familiam ἀοιδῶν sive ῥαψῳδῶν, qui Carmina rogatu Lycurgi docuerint Lacedaemonios, vel revertenti comitem dederint, qui ea teneret et caneret. Nam quod Plutarchus apud illam familiam litteris mandata et a Lycurgo descripta narrat, id non magis ad rem pertinet, quam addita ratio, cur legislator ea in civitatem suam importanda curaverit. Addunt talia historici ex ingenio suo, ne res nude et exiliter narrare videantur. Ac ne illud quidem Aeliano crediderim, (qui enim is scire potuit?) iam Lycurgo cognita fuisse haec omnia, ex quibus posthac Ilias et Odyssea constabant. Quare abiectis, quae afficta sunt ad mythicam famam, hoc solum nudum relinquitur, ante Lycurgum Spartanis tantum paucas rhapsodias innotuisse, plures

[2]) Heraclid. Fragm. περὶ πολιτειῶν in Gron. Thes. AA. GG. T. VI. p. 2823. B. Dio Chrysost. Or. II. p. 87. Reisk. Plut. in Lycurgo p. 41. D. Aelian. V. H. XIII, 14.

temporibus illius vel ipſius cura additas, poëtamque deinde illic ſemper in maximo honore fuiſſe [3]).

Per tria proxima a Lycurgo faecula nihil conſtat de his Carminibus, niſi quod a rhapſodis particulatim divulgata ſunt, qua de re ſupra diximus. Itaque ea etiam ante Solonem recitari morem fuiſſe, vel ſine teſtimonio veteris ſcriptoris crederes [4]). Quod autem a Solone novatum dicitur in recitatione, τὸ ἐξ ὑποβολῆς ῥαψωδεῖσθαι, eiusmodi eſt, ut eum rhapſodos non primum invitaviſſe Athenas, ſed in conſuetudine eorum aliquid mutaviſſe appareat. Iam quae illa fuerit mutatio et inſtitutio, poſitum eſt in coniectura propter brevitatem Diogenis Laertii. Nam ſi forte antea in

[3]) Plat. de Legg. III. p. 680. C. Plut. Apophth. Lac. p. 223. A. Aelian. V. H. XIII, 19.

[4]) Dieuchidae ap. Diog. Laert. I, 57. Τὰ Ὁμήρου ἐξ ὑποβολῆς ἔγραψε ῥαψῳδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔληξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον. Illud ἐξ ὑποβολῆς idem eſt quod alibi ἐξ ὑπολήψεως, *ita ut alius alii ſuccederet, ſeu, ubi unus deſiiſſet canere, alter inde, quod ſequeretur, auſpicaretur; ſicque unum Homericae poëſeos conflaretur corpus:* quae verba ſunt Leonis Allat. de patria Hom. c. 5. De re conf. Fabric. B. G. II, 2, 11. et Dreſig. de Rhapſodis p. 35., qui illum refutat. Equidem neutrius horum ſententiam probo, (et eos fere ſecuti ſunt reliqui omnes,) Fabricium tamen a vero propius abeſſe cenſeo.

publicis ſollennibus unus modo rhapſodus canere conſuerat, Solon convocandis pluribus, qui ſe invicem excipiendo maiorem numerum rhapſodiarum canerent, novum rei ſplendorem addidiſſe videri queat. Sed huic rationi parum tribuo. Non enim in illa memorabile meritum novae inſtitutionis intelligitur, nec verba Diogenis, etſi ſaepe balbutientis, illuc pertinere poſſunt. Iſtorum igitur verborum ſenſum preſſius ſequenti, veteremque morem rhapſodorum, quem ſupra deſcripſi, comparanti videtur mihi Solon hoc inſtituiſſe, ut, quum prius ſingulares rhapſodiae ſine ullo ordine rerum et temporum canerentur, id eſt ut in uno conventu primum Ulyſſis Νίπτρα (Odyſſ. Τ) aut Μνηστηροφονία (Χ), mox Νεκυία ſ. Νεκυομαντεία (Λ), tum τὰ ἐν Πύλῳ vel τὰ ἐν Λακεδαίμονι (Γ Δ), itemque ex Iliaco orbe Ἀγὼν ἐπιτάφιος (Ψ), deinde Ὁπλοποιία (Σ), tum Λιταί (Ι), poſtremo Λοιμός (Α) caneretur, ita partes distribuerentur pluribus rhapſodis, ut alio alium excipiente deinceps perpetua et commoda ῥαφὴ efficeretur. Memorabilis profecto inſtitutio legislatoris, qui idem poëta fuit, ſine qua fortaſſe haec omnia non diſputarem. Nec vero illum in ea usquam legimus ſcripto exemplari adiutum eſſe; quod ſi tum fuiſſet ullum, non ſane a Solone demum rhapſodi dedocendi fuiſſent. Ceterum haec res ad unam Atticam referenda eſt, non ad Graeciam univerſam. Neque enim ullo modo credibile eſt, Solonem fuiſſe primum omnium, qui tali ratione elegantiori diſpo-

ſitioni et collectioni Homericorum operum occaſionem daret, neque ea in Ionia et alibi tam diſſolute, ut nonnullis nuper placuit, tamque confuſe et permixte cantitata eſſe, ut eorum omnis tenor penitus corrumperetur.

Immo, ſi praeſidium nobis in ſola coniectura eſſet, ubi alias quam in patria Homeri primum inſtitutum illius elegantioris diſpoſitionis quaereremus? Addo etiam ſcriptionis: cuius prima tentamina a cultiſſima gente facta viderentur illo tempore, quo confectionem voluminum inchoatam eſſe docuimus §. XVII., h. e. Pittaci vel Solonis aetate. Etſi enim perantiquus et celeberrimus mos canendi propter ſummam iucunditatem, et quia plane in artem abierat, minus deſiderabilem facere potuit ſcriptionem, atque adeo fortaſſe huic negotio moras obiecit, tamen, poſtquam id ſemel tentari coeperat, vix ullum Carmen priorum temporum exſtitiſſe putes, quod Graecos aeque incitaverit ad perſcribendum.

XXXIII.

Nunc vero nihil opus eſt coniecturas capere. Hiſtoria loquitur. Nam vox totius antiquitatis et, ſi ſummam ſpectes, conſentiens fama teſtatur, *Piſiſtratum Carmina Homeri primum conſignaſſe litteris, et in eum ordinem redegiſſe, quo nunc leguntur.* Hoc poſterius Cicero, Pauſanias et reliqui omnes, qui mentionem rei faciunt, iisdem prope verbis

et ut vulgo notiſſimum perhibent [5]). Sed quomodo hanc famam interpretando torſerint nonnulli

[5]) Cic. de Orat. III, 34. *Quis doctior iisdem illis temporibus, aut cuius eloquentia litteris inſtructior fuiſſe traditur, quam Piſiſtrati? qui primus Homeri libros, confuſos antea, ſic diſpoſuiſſe dicitur, ut nunc habemus.* Pauſan. VII, 26. p. 594. Πεισίστρατος ἔπη τὰ Ὁμήρου διεσπασμένα τε καὶ ἀλλαχοῦ μνημονευόμενα ἠθροίζετο. Ioſeph. c. Apion. I, 2. Φασὶν οὐδὲ Ὅμηρον ἐν γράμμασι τὴν αὑτοῦ ποίησιν καταλιπεῖν, ἀλλὰ διαμνημονευομένην ἐκ τῶν ἀσμάτων ὕστερον συντεθῆναι, videlicet a Piſiſtrato. Aelian. V. H. XIII, 14. Ὕστερον Πεισίστρατος συναγαγὼν, ἀπέφηνε τὴν Ἰλιάδα καὶ τὴν Ὀδύσσειαν. Liban. Panegyr. in Iulian. T. I. p. 170. Reisk. Πεισίστρατον ἐπαινοῦμεν ὑπὲρ τῆς τῶν Ὁμήρῳ πεποιημένων συλλογῆς. Suidas v. Ὅμηρος: Ὕστερον συνετέθη καὶ συνετάχθη ὑπὸ πολλῶν, καὶ μάλιστα ὑπὸ Πεισιστράτου, τοῦ τῶν Ἀθηναίων τυράννου. Euſtath. p. 5. Ὅτι ἓν μέν τι σῶμα συνεχὲς διόλου καὶ εὐάρμοστον ἡ τῆς Ἰλιάδος ποίησις· οἱ δὲ συνθέμενοι ταύτην, κατ᾿ ἐπιταγὴν, ὥς φασι, Πεισιστράτου — Anonymi ap. Allat. l. c. Τὰ δὲ ποιήματα αὐτοῦ τὰ ἀληθῆ, (ſic cod. Lipſ.) σποράδην πρότερον ᾀδόμενα, Πεισίστρατος Ἀθηναῖος συνέταξε — Περιϊὼν τὰς πόλεις Ὅμηρος ᾖδε τὰ ποιήματα· ὕστερον δὲ Πεισίστρατος αὐτὰ συνήγαγεν, ὡς τὸ ἐπίγραμμα τοῦτο δηλοῖ, Ἀθήνησιν ἐπιγεγραμμένον ἐν εἰκόνι αὐτοῦ τοῦ Πεισιστράτου·

Τρίς με τυραννήσαντα τοσαυτάκις ἐξεδίωξε
  δῆμος Ἐρεχθειδῶν, καὶ τρὶς ἐπεσπάσατο,
τὸν μέγαν ἐν βουλαῖς Πεισίστρατον· ὃς τὸν Ὅμηρον
  ἤθροισα, σποράδην τὸ πρὶν ἀειδόμενον.
ἡμέτερος γὰρ κεῖνος ὁ χρύσεος ἦν πολιήτης,
  εἴπερ Ἀθηναῖοι Σμύρναν ἐπῳκίσαμεν.

recentiorum [6]), longum eſt et mirum narratu. Etenim illi fere Piſiſtrato dare videntur codices ſingularum rhapſodiarum, a poëta forte, ut Suidas docet, in variis urbibus, quas obierat, relictos

[6]) Nam transcurrunt eam plurimi, quaſi rem parvi momenti. Alii ridicule de ea loquuntur ut de nova editione. At nemo magis ingenue quam Kuſterus Hiſtor. crit. Homeri, poſito illo Euſtathii loco, p. 99.: *Non caret quidem, fateor, haec ſententia difficultatibus; attamen ob totius fere antiquitatis conſenſum aliter ſtatuere non licet.* Conſenſum vir hiſtoriae reverens dicit eum, qui Piſiſtratum σώματος συνεχοῦς καὶ εὐαρμόστου auctorem facit, non Homerum. Leviter, et vitiata Kuſteri ſententia, Dreſig. p. 34.: *Ob totius fere antiquitatis conſenſum concedendum videtur, ipſum quidem Homerum conſcripſiſſe una ſerie utriusque poëmatis libros, poſterisque ſuis perpetuos nec diſperſos reliquiſſe, ſed vivum non niſi cantilenas, quas in oppidis victus gratia cantavit, diſperſas edidiſſe.* Particula *fere* Latine utimur modeſtiae cauſa, non ut mendacium tegamus. Itaque qualis ille ſit *totius fere antiquitatis conſenſus*, docere nos debebat. Ne Suidas quidem l. c. concinit, quem unum ibi habebat prae oculis: Ἔγραψε τὴν Ἰλιάδα οὐχ ἅμα, οὐδὲ κατὰ τὸ συνεχές, καθάπερ σύγκειται· ἀλλ' αὐτὸς μὲν ἑκάστην ῥαψῳδίαν γράψας καὶ ἐπιδείξας ἐν τῷ περινοστεῖν τὰς πόλεις τροφῆς ἕνεκεν, ἀπέλιπεν. Sic Piſiſtrato demum nihil reliquum fit, quam ut *rhapſodias in totidem libros, quot nunc habemus, dividat.* Itaque hanc diviſionem ab Alexandrinis inductam eſſe, ignorabat vir bonus.

dicam an oppigneratos: his codicibus inſtructum illum credere videntur, (nam affirmate loqui non audent,) confuſionem paullatim a ſarcinatoribus Carminum factam ſuſtuliſſe, ac non tam novum ordinem deſignaſſe quam priſtinum et genuinum reſtituiſſe. Huc ergo trahunt Carmina illa *confuſa*, διεσπασμένα, διῃρημένα, σποράδην ᾀδόμενα, velut disiecta et turbata vitio rhapſodorum; omninoque tantum in hoc negotio relinquunt homini, qui ex eo ipſo maximam famam eruditionis conſecutus eſt [7]), quantum hodie interdum negligentiores ſcriptores relinquunt curae typographorum.

Bene ſe haberent haec omnia, ſi de opere noſtri temporis quaereretur, aut ſi olim ſcripti libri fuiſſent ante Piſiſtratum, rhapſodique tales, quales ab iſtis finguntur, ſi denique ullus vetus

[7]) Eodem pertinere arbitror famam de prima bibliotheca a Piſiſtrato condita, etſi ſatis recenti ſcriptori memoratam, Gellio VI, 17. Non enim reperio, qui alii praeter Homerum ineſſe potuerint ſcriptores, quam aliquot poëtae, nuper demum vel ipſius iuſſu perſcripti. Idemque ſentiendum fortaſſe de Polycrate Samio, quem propter librorum parandorum ſtudium cum Piſiſtrato coniungit Athen. I. p. 3. A. Nimirum bibliothecae illae ſimiles fuerunt, ni fallor, earum, quae in templis nonnullis, etiam in Hieroſolymitano, depoſitae feruntur, paucis conſtantes ſcriptis et nomine ſuo, prout hodie uſurpatur, parum dignae; ſimilis forſan etiam illa Smyrnaea, cuius una cum Homereo meminit Strabo XIV. p. 646.

auctor huius interpretationis exſtaret. Namque ineptiſſimum ſit illud argumentari, quod non vulgo veteribus, quum de pulchra compoſitione horum Carminum praedicant, Piſiſtratus laudatur pro Homero. Perſaepe id evenit in hiſtoria, ut tralaticiae voces redarguantur factis, et ut rebus, quas nemo non pro veris habuit, longe alia conſequentia ſint, quam ii animadvertebant, qui illas attulerunt. Ambiguitas vero, quam huic mentioni confuſorum Carminum ineſſe putant, continuo evaneſcit comparatione eorum ſcriptorum, qui rem paullo aliter narratam reliquerunt, Ioſephi et Aeliani, ſeu potius comparatione illorum omnium. Collecta, non recollecta Carmina, et adſcitam artem compoſitionis, non critico ſtudio revocatam, in illis omnibus reperiet mecum unusquisque, qui modo attente legerit, neque cupiditate et temere captis opinionibus occaecatus libenter careat luce veritatis.

Atqui huius famae conſtantiam, cuius vel iſta tot indicia ſatis mirere ex iis temporibus, quibus dudum nova forma horum Carminum invaluerat; idque tum apud Graecos potuit fieri intra duas tresve aetates; eius ergo famae conſtantiam ne poſtremum quidem aevum penitus obſcuravit. Notabilis ex hoc genere narratio eſt in Scholiis Lipſienſibus et Euſtathio [8]), Δολώνειαν i. e. rhapſo-

[8]) Euſt. p. 785. 41. Φασὶν οἱ παλαιοὶ, τὴν ῥαψῳδίαν ταύτην ὑφ' Ὁμήρου ἰδίᾳ τετάχθαι, καὶ μὴ ἐγκαταλε-

diam X Iliados ab Homero pro ſingulari opuſculo factam eſſe, a Piſiſtrato autem receptam in collectionem corporis ſui. In primis vero huc pertinent abſurda commenta Grammaticorum, qui curam Piſiſtrati explicare conati, quum priſcos mores neſcirent, ad corruptos rumores et proprium ingenium confugerunt. Animi cauſa in hac ima pagina ipſum locum dabo Diomedis cuiusdam, ut eum primum Allatius et nuper Villoiſonius e MSS. edidit [9]). Ibi fabulantur infimae aetatis

γῆναι τοῖς μέρεσι τῆς Ἰλιάδος, ὑπὸ δὲ Πεισιστράτου τετάχθαι εἰς τὴν ποίησιν.

[9]) Ille l. c. pag. 93. hic Anecd. Gr. T. II. p. 182. ſqq. Ὅτι ἔν τινι χρόνῳ τὰ Ὁμήρου ποιήματα παρεφθάρησαν. ἢ ὑπὸ πυρός, ἢ ὑπὸ σεισμοῦ ἢ ὑπὸ ὑδάτων ὑποφορᾶς, καὶ ἀλληνάλλως τῶν βιβλίων διασκεδασθέντων καὶ φθαρέντων, ὕστερον εὑρέθη ὁ μὲν ἔχων ἑκατὸν στίχους τυχὸν Ὁμηρικούς, ὁ δὲ χιλίους, ἄλλος διακοσίους, ἄλλος ὅσους ἂν ἔτυχε, καὶ ἔμελλε λήθῃ παραδίδοσθαι ἡ τοιαύτη ποίησις· ἀλλὰ Πεισιστρατος, Ἀθηναίων στρατηγός, θέλων ἑαυτῷ δόξαν περιποιήσασθαι, καὶ τὰ τοῦ Ὁμήρου ἀνανεῶσαι, τοιοῦτόν τι ἐβουλεύσατο. Ἐκήρυξεν ἐν πάσῃ τῇ Ἑλλάδι, τὸν ἔχοντα Ὁμηρικοὺς στίχους ἀγαγεῖν πρὸς αὐτόν, ἐπὶ μισθῷ ὡρισμένῳ καθ' ἕκαστον στίχον· πάντες οὖν οἱ ἔχοντες ἀπέφερον, καὶ ἐλάμβανον ἀδιαστρόφως τὸν ὁρισθέντα μισθόν. Οὐκ ἀπεδίωκε δὲ οὐδὲ τὸν φέροντα οὓς ἤδη προειλήφει στίχους παρ' ἑτέρου, ἀλλὰ κἀκείνῳ τὸν αὐτὸν ἐπεδίδου μισθόν· ἐνίοτε γὰρ ἐν αὐτοῖς ἕνα ἢ δύο στίχους εὕρισκε περιττούς, ἐνίοτε δὲ καὶ πλείους· ὅθεν τις ἔσθ' ὅτε καὶ ἰδίους παρεισέφερε, τοὺς νῦν ὀβελιζομένους. Καὶ μετὰ τὸ πάντας

Grammatici, poſtquam Homeri opera periiſſent, incertum igni an motu terrae an aquis abſumpta,

συναγαγεῖν, παρεκάλεσεν οβʹ (ὁ Allat.) γραμματικοὺς συνθεῖναι τὰ τοῦ Ὁμήρου, ἕκαστον κατ᾽ ἰδίαν, ὅπως ἂν δόξῃ τῷ συντεθέντι καλῶς ἔχειν, ἐπὶ μισθῷ πρέποντι λογικοῖς ἀνδράσι καὶ κριταῖς ποιημάτων, ἑκάστῳ δεδωκὼς πάντας τοὺς στίχους κατ᾽ ἰδίαν, ὅσους ἦν συναγαγών· καὶ μετὰ τὸ ἕκαστον συνθεῖναι κατὰ τὴν ἑαυτοῦ γνώμην, εἰς ἓν συνήγαγε πάντας τοὺς προλεχθέντας γραμματικοὺς, ὀφείλοντας ἐπιδεῖξαι αὐτῷ ἕκαστον τὴν ἰδίαν σύνθεσιν, παρόντων ὁμοῦ πάντων. Οὗτοι οὖν ἀκροασάμενοι, οὐ πρὸς ἔριν, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἀληθές, καὶ πᾶν τὸ τῇ (πάντῃ Allat.) τέχνῃ ἁρμόζον, ἔκριναν πάντες κοινῇ καὶ ὁμοφώνως, ἐπικρατῆσαι τὴν σύνθεσιν καὶ διόρθωσιν Ἀριστάρχου καὶ Ζηνοδότου· καὶ πάλιν ἔκριναν τῶν δύο συνθέσεών τε καὶ διορθώσεων βελτίονα τὴν Ἀριστάρχου. Ἐπειδὴ δέ τινες τῶν συναγαγόντων τοὺς Ὁμηρικοὺς στίχους πρὸς τὸν Πεισίστρατον, διὰ τὸ πλείονα μισθὸν λαβεῖν, καὶ ἰδίους στίχους, ὡς προείρηται, σκεψάμενοι προσέθηκαν, καὶ ἤδη ἐν συνηθείᾳ ἐγένοντο τοῖς ἀναγινώσκουσιν· οὐκ ἔλαθε τοῦτο τοὺς κριτάς, ἀλλὰ μὲν διὰ τὴν συνήθειαν καὶ πρόληψιν ἀφῆκαν αὐτοὺς κεῖσθαι, ὀβελισκους δὲ ἑκάστῳ τῶν ἀδοκιμων καὶ ἀλλοτρίων καὶ ἀναξίων τοῦ ποιητοῦ στίχων παρατιθέμενοι, τοῦτο αὐτὸ ἐπεδείξαντο, ὡς ἀνάξιοί εἰσι τοῦ Ὁμήρου. Non indocta ſunt, quae in his poſtremis leguntur de ſuſpectis verſibus in ſua ſede relictis: qua de re infra dicam in Zenodoto. Brevius aliud Schol. cuius initium in not. 39. dedi, ſic narrat de Piſiſtrato: Ἐθέλησε τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἔγγραφον διαφυλάττεσθαι· προθεὶς δὲ ἀγῶνα δημοτελῆ, καὶ κηρύξας, καὶ δοὺς ἄδειαν τοῖς εἰδόσι καὶ βουλομένοις τὰ Ὁμήρου ἐπιδείκνυσθαι, καὶ μισθὸν τάξας στίχου

edixiſſe Piſiſtratum, ut ex omni Graecia deferretur ad ſe, ſi quid Homericum uspiam lateret. Ita inventum paſſim eſſe, qui centum verſus, alium, qui mille, alium etiam, qui maiorem numerum conferret. Quibus omnibus receptis collectisque ipſum ſtatim congregaſſe LXXII Grammaticos, (Ariſteae fabulam audis de LXXII interpretibus Bibliorum,) eosque iuſſiſſe hanc farraginem in iuſtum ordinem redigere. In hoc conſeſſu Grammaticorum prae ceteris Zenodoto et Ariſtarcho locus eſt, errore turpiſſimo, a quo tamen nec Euſtathius nec recentiores quidam docti receſſerunt [10]). Atque huius unius fabulae auctoritate ſe tueantur ii, qui Piſiſtratum non prima ſcriptura collegiſſe et diſpoſuiſſe Carmina, ſed distracta, dis-

ἑκάστου ὀβολόν, συνήγαγεν ὁλοσχερεῖς τὰς λέξεις, καὶ παρέδωκεν ἀνθρώποις σοφοῖς καὶ ἐπιστήμοσιν. Hic unus eſt e Grammaticis, qui *primum exemplar a Piſiſtrato paratum* diſerte confirmat. Antea non ſcripturam, ſed *ſolam* διδασκαλίαν rhapſodorum conſervando Homero adhibitam eſſe dicit. Tam diſerte haec nemo docet praeter Ioſephum; at eadem tamen docent omnes.

10) Poſt magnos compilatores Hiſtoriae univerſalis iſtum errorem, vix Anacharſidi Scythae ignoſcendum, omiſſis tamen nominibus Grammaticorum repetiit Barthelem. in Introd. ad illius Itinera P. I. extr., ubi cetera quoque hiſtoria Hom. operum ad vulgarem modum narratur.

ſipata et divulſa reſtituiſſe contendunt [11]). Nos, qui ſcire nobis videmur, quid inter fabulam et hiſtoriam interſit, illic hiſtoriam ſub fabula occultatam agnoſcimus, ſimili eruendam modo, quo verſati ſunt viri docti in Iudaico commento de LXX interpretibus [12]).

XXXIV.

Quodſi ex ſententia veterum nemo ante Piſiſtratum de hac coagmentatione operum Hometicorum ſerio cogitavit, quis credat, eam, quamvis meditatam ante et inſtructam, ſtatim tum omnibus partibus abſolutam prodiiſſe, et talem plane, qualem nunc videmus? Oportet illum ſatis habuiſſe, ſi pleraeque rhapſodiae apto ordini redderentur, ſepoſitis iis, quae tenori ſummi argumenti officerent, licet paſſim aliquid disſideret et hiaret, vel lacinia haereret ex forma priore. Ad quaerendum illum tenorem praeter alias cauſas impellere potuit ipſa cura continuae ſcriptionis, in qua Carmini cuique ſuus locus asſignandus erat: verum perpolire et quaſi ad unguem complanare

[11]) Plane hoc traditur uno parvo Scholio, in Anecd. Gr. ibidem edito: Λέγεται ὅτι συνεῤῥάφησαν ὑπὸ Πεισιστράτου τὰ Ὁμήρου ποιήματα, καὶ κατὰ τάξιν συνετέθησαν τὰ πρὶν σποράδην καὶ ὡς ἔτυχεν ἀναγινωσκόμενα, διὰ τὸ τὴν ἁρμογὴν αὐτῶν τῷ χρόνῳ διασπασθῆναι.

[12]) Ut acutiſſime omnium Eichhorn. in Repert. bibl. et orient. litt. T. I. p. 266. ſqq.

omnia, operoſius videbatur fortaſſe, quam ut illud prima experientia asſequi liceret. Sed cur maxime nolim hanc artem uni Piſiſtrato tribuere, duo argumenta in promptu habeo, horum temporum tenebris asſueto clara ſatis et manifeſta. Primum Graecos ad aetatem usque Ptolemaeorum conſtanti quadam conſtitutione textus caruiſſe, vidimus ſupra iis in locis, qui a Platone et aequaevis laudantur ex Homero, nec tamen hodie apud eum comparent. Itaque ex hoc textu, quem hodie manibus terimus, nemo exiſtimare poteſt, quomodo primum ſcriptus fuerit; immo, ſi poſt Piſiſtratum alii atque alii rhapſodi ad ſcribendum adhiberentur, neceſſe erat formam eius ſubinde variari et mutari, priusquam in manus Zenodoti et Ariſtarchi veniret. Qua de re commentarii horum haud dubie plura indicia ſervaverant, in quorum iactura nunc ſe ſpecioſe tuetur vulgaris opinio. Quid vero illud eſt? Ante munus Villoiſonii unus in Scholiis erat locus, qui mentionem faceret διασκευάσεως cuiusdam antiquioris Alexandrinis illis: rem nemo, quod ſciam, quo referret, habebat: iam et illam et nomen διασκευαστῶν perſpicue nobis Venetus Scholiaſtes attulit aliquot locis, in quibus traditur aliquid ſuppoſitum eſſe a διασκευασταῖς, quod Critici deinde vate indignum et tollendum putaverint [13]). Ea res quum antehac

[13]) Locus in brev. Schol. eſt ad Odyſſ. λ. 583., qui comparatus cum Schol. Ven. ad Catal. 104. et ad Pind.

ſolo iſto tenuiſſimo veſtigio nota fuerit, et ne nunc quidem ratio eius usquam accurate explicetur, difficile eſt de ea aliquid certi ſtatuere. Attamen comparata illa indicia manifeſto docent, διασκευαστὰς non ignotos quosdam auctores criticarum recenſionum habendos eſſe, de quibus alia vocabula in uſu ſunt, ſed exactores ſeu politores, qui vel una cum Piſiſtrato vel paullo poſt eidem operi manum admoverint [14]).

Ol. I, 97. docet, Ariſtarcho ibi plures verſus de interpoatione διασκευαστοῦ ſuſpectos fuiſſe. Et ſi quid fidei habet nota codicis Vindob. CXXXIII., magnam lacunam in pulcherrima parte libri fecit ſuſpicio illius. Hoc autem uno loco, ſi recte memini, Euſtath. affert rem illam, ſed petitam ex eodem Schol., et ſic, ut eam non melius videatur intellexiſſe, quam quisquam doctorum ante editionem muneris Veneti. Quare mittamus Mer. Caſaubonum, qui Scholio lucem affundebat ex Euſtathii rhetoricis notis, in quibus memoratur σχῆμα διασκευαστικόν. Iam vero conf. Scholion Venetum δ. 208. (referendum ad γ. 396 — 418.) ζ. 441. θ. 73., tum illud σ. 356. quod paullo ante indicavi, τ. 327. et 400. (referendum ad θ. 185.) tum υ. 269. et ω. 133.

14) Vulgo ignota eſt vis illius vocabuli, de qua quaerimus, neque allata a Stephano et Scotto. At ſatis eam declarant Scholia ad unam Ariſtophanis fabulam, Nubes v. 552. et 591., tum locus in praeclaro Argumento, quod quartum eſt in Kuſteri edit. Ex his collatis apparet, διασκευάζειν a veteribus magiſtris adſcitum eſſe in poteſtatem verbi ἐπιδιασκευάζειν, ut in Scenicis prope idem eſſet quod

Sed omnino dubium eſſe arbitror, num ipſi veteres uni Piſiſtrato tribuerint negotium illud, an, ut ſaepe faciunt, ad eum auctorem retulerint, quod hortatu eius et auctoritate factum ſit. Hipparcho quidem, Piſiſtrati filio natu minori et in illa Athenis ſaluberrima tyrannide cum fratre ſucceſſori, a ſcriptore dialogi Platonici, qui nomen illius pro titulo habet, tam magnificae partes aſſignantur in celebrando Homero, ut patrem in labore colligendi et disponendi vel in primis adiuviſſe, vel conſilium paternum exſecutus eſſe, atque id cum amantibus litterarum communicaſſe videri poſſit [15]). Nam quod is potiſſimum Homerum novo

ἀναδιδάσκειν, h. e. *repetito committere fabulam, ſed mutando, addendo, detrahendo emendatam, refictam et ſecundis curis elaboratam.* Id enim facere ſolebant illi poëtae ſaepiſſime, mox etiam alii, ut Apollonius Rhod. Neque aliter Plato fecit in optimis dialogis ſuis; quam ob cauſam exquirere non licet, quando quisque compoſitus ſit, quum in ſcenicis fabulis ſaltem ex didaſcaliis plerumque notum ſit tempus, quo editae ſunt. De ipſis igitur auctoribus libri uſitatum eſt verbum, ſive de iis, qui limam alienis libris adhibebant, non de Criticis poſteriorum ſaeculorum.

15) Notus locus eſt p. 228. B. de Hipparcho: ὃς ἄλλα τε πολλὰ καὶ καλὰ ἔργα σοφίας ἀπεδείξατο, καὶ τὰ Ὁμήρου πρῶτος ἐκόμισεν εἰς τὴν γῆν ταυτηνί, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς Παναθηναίοις ἐξ ὑπολήψεως ἐφεξῆς αὐτὰ διιέναι, ὥσπερ νῦν ἔτι οἵδε ποιοῦσιν. In quo permirum eſt, ea ipſa ſimpliciter tribui filio,

ordine a rhapſodis decantari Panathenaeis quinquennalibus iuſſerat [16]), id non potuit ei hanc famam conficere, ut primus diceretur illum intuliſſe in Atticam. Iam in utriusque aetatem incidit pulcherrimus flos poëſis lyricae et ethicae cum novis incrementis tragoediae et comoediae: in tot poëtis forſitan fuerint plures, qui Piſiſtrato et Hipparcho in illam rem adiutorium facerent, prae-

quae ab aliis patri tribuuntur et Soloni. Quanquam haec discrepantia maior eſt ſpecie quam re, ſi noſtram ſententiam ſequare, vel, quae prope eadem eſt, Kuſterianam p. 101., et ſimul cogites, illud dici in ſcripto, quod ad laudem Hipparchi compoſitum eſt. Ceterum hunc dialogum non genuinum eſſe Platonis, ſed ab Attico ſcriptum iſtius familiae, quae etiam Oratoribus tot μελετήματα ſubiecit, dubitatio veteris Critici apud Aelianum VIII, 2. (conf. ſupra p. XLIX.) et Valckenarii aſſenſus in Herodoto Weſſel. p. 398. mihi plane perſuaſit. Quae coniectura ſi viris doctioribus probabitur, (eademque aliquando et alios quosdam minores dialogos Platoni eripiet, et ad Demodocum et Siſyphum reiiciet,) nemo mirabitur, cur Hipparchum non cum Meurſio maiorem natu quam Hippiam appellaverim, victus graviſſima auctoritate Thucydidis et quodammodo etiam Herodoti.

16) Lycurg. in Leocr. p. 209. Reisk. Οὕτω ὑπέλαβον ὑμῶν οἱ πατέρες σπουδαῖον εἶναι ποιητήν, ὥςτε νόμον ἔθεντο, καθ᾽ ἑκάστην πενταετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνου τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψωδεῖσθαι τὰ ἔπη, ἐπίδειξιν ποιούμενοι πρὸς τοὺς Ἕλληνας, ὅτι τὰ κάλλιστα τῶν ἔργων προῃροῦντο.

ſertim quum uterque, uti artium, ita doctorum hominum amantiſſimus eſſet. Nominatim enim feruntur cum iis coniunctiſſime vixiſſe Orpheus Crotoniates, ſcriptor Argonauticorum, Onomacritus Athenienſis, ab Hipparcho civitate eiectus poſtea, Simonides Ceus et Teïus Anacreon [17]). Horum igitur quempiam coniiciebam illis ad ordinanda Carmina operam praebuiſſe ſuam. Ipſe certe Piſiſtratus ſuarum rerum ſatagebat, his vero otium erat et priſcorum operum magna familiaritas; ut Onomacrito, cuius celebres interpolationes Orphei et Muſaei ad ipſa primordia ſcriptionis retrahendae ſunt.

Temerarium puto, ex quoque deverticulo fabularum veſtigia hiſtoriae exſculpere: alioquin his coniecturis colorem et fidem quaererem ex eo, quod in iſtis commentis Grammaticorum et apud Suidam Piſiſtrato complures ſocii operis adſcribuntur. At memoratu digniſſimus eſt locus Pauſaniae ante allatus, ubi quum de varietate nominis Il. β. 573. agit, diſerte mentionem facit *Piſiſtrati amicorum et adiutorum in Iliade litteris mandanda* [18]); ut clare appareat, rem a nobis renovatam Pauſaniae aetate nondum plane obſcuratam fuiſſe.

17) Herodot. VII, 6. Plato l. c. Suid. Tom. II. pag. 719.

18) Ἢ αὐτὸν Πεισίστρατον, ἢ ΤΟΝ ΤΙΝΑ ΕΤΑΙΡΩΝ, μεταποιῆσαι τὸ ὄνομα ὑπὸ ἀγνοίας.

XXXV.

Haec quum ita ſint, ſub imperio Piſiſtratidarum Graecia primum vetera Carmina vatum manſuris monumentis conſignari vidit. Talemque aetatem ſub incunabula litterarum et maioris cultus civilis apud ſe viderunt plures nationes, quarum comparatio accurate inſtituta iis, quae hic disputamus, multum lucis afferre poſſit. Nam, ut duas obiter tangam, et inter ſe et Graecis omni parte disſimillimas, conſtat inter doctos, in Germania noſtra, quae domeſtica bella et principum ducumque ſuorum geſta iam ante Tacitum Carminibus celebraverat, has primitias rudis ingenii a Carolo M. tandem collectas eſſe et libris mandatas; itemque Arabes non ante VII. ſaec. inconditam poëſin priorum aetatum memoria propagatam collectionibus (*Divanis*) comprehendere coepiſſe, ipſumque Coranum diverſitate primorum textuum ſimilem Homero fortunam fateri. Praeter hos et alios populos comparandi erunt Hebraei, apud quos litterarum et ſcribendorum librorum uſus mihi quidem haud paullo recentior videtur, quam vulgo putatur, et minus adeo genuinum corpus ſcriptorum, praeſertim antiquiorum. Sed de his et Arabicis illis collectionibus viderint homines eruditi litteris Orientis.

Ad Graecos revertimur. Qui poſteaquam Homerum ſuum collegerant, perquam veriſimile eſt, eos eandem curam ſtatim ad reliqua praeſtantiora Carmina ſupparis aevi traduxiſſe. Qua in re equidem minus miror ſilentium antiquitatis. Nam ſemel propoſito exemplo opera iſta non potuit admodum difficilis eſſe; neque in alio ullo Carmine tam artificioſam ſtructuram quaeſitam videmus. Itaque nec ceteris reliquiis Homericis nec Heſiodicis defuerunt, ut opinor, διασκευασταί, qui ſingulares rhapſodias connecterent, ſive eas, quae ab ipſis auctoribus ad eandem formam compoſitae erant, uno volumine complecterentur, ut Καταλόγους γυναικῶν vel Ἠοίας μεγάλας. Idemque non multo poſt Piſiſtratidas factum ſuſpicor in cyclicis et aliis multis Carminibus, quae, hodie vix nomine nota, non perveniſſent ad ſaeculum Ptolemaeorum, niſi tum ab interitu vel novis corruptelis ſervata eſſent.

Ex eadem aetate denique repetendae videntur plurium operum falſae inſcriptiones, quum, quidquid eiusdem fere ſoni et argumenti eſſet, uni auctori tribueretur, Homero in primis et Heſiodo, qui fulgore claritatis ſuae ceterorum luminibus offecerant. Quid? quod interdum etiam maximarum rerum diverſitate nihil movebatur antiqua credulitas. Ita tandem Herodotus primus eſt conatus duo Carmina familia Homerica ſummovere, Cypria et Epigonos [19]), alii deinde Hymnos et

[19]) II, 117. Alterum locum dubitanter addo, IV, 32., ubi mihi interdum viſus ſum in his verbis, ἀλλ' Ἡσιόδῳ κ. τ. λ. annotationem legere veteris Grammatici, non Herodoti. De ipſa re cf. §. XXIII. extr.

alia, donec iudiciis nonnullorum Alexandrinorum vulgo omnes acquieverunt. De hoc genere quaedam non protrita apponerem, ſi mihi potius eo, quo invitat materia, quam quo ducit, ſequi liceret [20]).

[20]) Unum hic afferam paucis verbis, longa dignum explicatione, ex quo intelligetur, quo progreſſae ſint dubitationes Graecorum ipſorum iam ante Alexandrinos. Quae res ſimul excuſabit quodammodo audaciam noſtram, ſimul novo argumento erit, multa graviſſima oblitterata eſſe ſtabilitis ſententiis atque decretis illorum ſaeculorum, ex quibus fere noſtra Scholia habemus. Apud Senecam de Brev. vitae c. 13. in quaeſtionibus Graecorum inutilibus, ad vivendum ſcilicet beate, hanc quoque iam dudum legebamus, *Eiusdemne auctoris eſſent Ilias et Odyſſea.* Huius quaeſtionis nuper nullum usquam veſtigium erat aliud. Sed ecce! nunc plura apparent in praeſtantiſſimis Scholiis Ven. codicis A., ubi res commemoratur ut doctis notiſſima, proprioque nomine refutantur aliquoties οἱ χωρίζοντες, i. e. ipſi illi, qui negabant eundem utriusque Carminis auctorem eſſe. Vide ad β. 356. Catal. 156. δ 354. κ. 476. λ. 147. 691. μ. 96. ν. 365. π. 747. φ. 416. 550. quibus verſibus diple pura appoſita eſt propter τοὺς χωρίζοντας, ſeu, ut in Fragmento de notis criticis legitur, πρὸς τοὺς λέγοντας μὴ εἶναι τοῦ αὐτοῦ ποιητοῦ Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν. Illos autem priores fuiſſe celeberrimis ſcholis Grammaticorum, ex multis indiciis colligo. Quare videndum eſt, ne forte primum veſtigium illius ſuſpicionis lateat in mutilato loco Vitae Homeri, quae a Tychſenio accuratius

Sed priusquam alterum ſpatium ingredior, velim pro ſe quisque animo colligat omnia, quae hactenus explicavi, retexendo fila argumentandi saepe ſubtiliora, ut appareat, quid ſingulae rationes, quid univerſae valeant. Etſi enim in iunctis et quaſi conglobatis probabilitas eſt, ſicut in iunctis membris corporis pulchritudo, tamen ſingula momenta per ſe oportet eam vim habere, ut aliquid addant lanci. Si in nonnullis plus tribui veriſimilitudini, quam ſevera lex hiſtoriae poſcit, non id mea culpa factum eſt, ſed penuria teſtium, quorum ne tantum quidem numerum exſpectares in tam antiquis et occulto creſcentibus rebus: certe ego nullum locum veteris auctoris ſciens detorſi in aliam ſententiam, quam quae vera et genuina videretur ſine ullo reſpectu huius quaeſtionis. Quam rem facile me probaturum ſpero doctis omnibus, etiam iis, quibus ductas ex illis locis ratiocinationes non probabo, praeſertim poſtremam hanc, qua artificii, quod tantopere admirantur, gloriam Homero ex parte auferre auſus ſum. Hoc nimirum perpaucis erit credibile, forſan ne tum quidem, quum argumentorum omnium pondere obruentur. In his enim opus eſt ſenſu quodam, quem illa non afferunt. Mihi vero, ſive ipſorum Graecorum ſive aliarum gentium progreſ-

quam antea edita eſt in Append. Faſc. I. Bibl. Goetting. p. 11.: Γέγραφε ποιήσεις δύο, Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν· Ξένων καὶ Ἑλλάνικος ἀφαιροῦσιν αὐτοῦ.

ſus intueor, illud minime credibile videtur, quod credere asſuevimus, haec talia duo opera unius ingenii repente ex tenebris ſplendeſcere et nitore partium et multis magnisque virtutibus ſummae perpetuae.

XXXVI.

Altera aetas a *Piſiſtratidis* ad *Zenodotum* non multo plus lucis habet quam illa prima. Quod nobis eſt valde dolendum, quoniam in ea origines quaerendae ſunt omnis interpretationis, quae quidem apud veteres in uſu fuit. Nam antequam eam refertiſſima litteris aetas maiore apparatu aggrediebatur, Philoſophi, Sophiſtae et alii liberaliter eruditi ſpecimina dederant interpretandi Homeri; mox ſtudium multiplicandorum exemplarium, neceſſitatem afferens e diverſis ſcripturis, quas rhapſodi ſuppeditaverant, optimas quasque deligendi, viam munivit ad accuratiorem κρίσιν. Verum de his paullo diſtinctius tradendum eſt.

Ac primo quidem tempore et paene ad Periclis usque aetatem Graecia Homerum et ceteros ἀοιδοὺς ſuos adhuc auditione magis quam lectione cognoſcebat. Paucorum etiam tum erat cura ſcribendi, lectio operoſa et difficilis; itaque rhapſodis maxime operam dabant, captique mira dulcedine cantus ab illorum ore pendebant. In clariſſimis huius ſaeculi rhapſodis memoratur circa Olymp. LXIX. Cynaethus, Pindaro aequalis, qui Chio commigravit Syracuſas, vel ibi maxime artem fa-

ctitavit [21]). Atque huius profeſſionis homines quum omne tempus conſumerent in ediſcendo poëta, eosdem eius primos interpretes fuiſſe putes. Sed nullo id confirmatur certo teſtimonio ſcriptoris. Quod enim a nonnullis affertur Platonis, illud in iſto contextu ad quemvis actorem ſcenae transferri potuerat [22]). Quocirca non dubito, quin antiquiſſimi philoſophi auctores interpretationis habendi ſint, et initio quidem πραγματικῆς. Nam verborum obſcuritas illis ſaeculis admodum nulla erat, quando eadem forma orationis uſurpari ſolebat ab optimo quoque poëtarum. Verum philoſophi quum viderent, ſacra haberi Carmina, celebrarique omni populo, ex iisque vitae recte inſtituendae praecepta ſumi, neque tamen in iis non animadverterent multa falſo, ridicule et indecore fingi de natura deorum et rerum, interpretatione ſua corrigere fabulas, atque ad phyſicam et mo-

[21]) Schol. Pind. ad Nem. II. pr.

[22]) Ione p. 530. C. Οὐ γὰρ γένοιτό ποτε ῥαψῳδός, εἰ μὴ συνίῃ τὰ λεγόμενα ὑπὸ τοῦ ποιητοῦ. Τὸν γὰρ ῥαψῳδὸν ἑρμηνέα δεῖ τοῦ ποιητοῦ τῆς διανοίας γίγνεσθαι τοῖς ἀκούουσιν. Specioſius eſt, quod reſpondet Io, poſſe ſe κάλλιστα ἀνθρώπων λέγειν περὶ Ὁμήρου, eaque in re certare cum interpretibus optimis. In ceteris quidem hic pulchellus interpres nihil profert tanto hiatu dignum: ſed potuerit id facere, ut Sydenhamius cenſet, non quaerimus de rhapſodis aetatis Platonicae, ſed de antiquis ſucceſſoribus ἀοιδῶν. Cf. p. 535. A.

ralem doctrinam ſuae aetatis accommodare, denique hiſtorias et reliqua fere omnia ad involucra exquiſitae ſapientiae trahere coeperunt. Hoc in genere iam circa Olymp. LXIII., in qua Piſiſtratus deceſſit, elaborabat Theagenes Rheginus, mox Anaxagoras Clazomenius, Metrodorus Lampſacenus, Steſimbrotus Thaſius aliique aevi eiusdem [23]). Pauci contra alii, ut Pythagoras, Xenophanes, Heraclitus [24]), non verebantur Homerum impietatis accuſare propter tot ficta ſeu pulcherrimis verſibus ornata mendacia. In quo hi quidem poſteriores magnum quiddam videntur mihi feciſſe et liberaliſſimae gentis indole dignum, quod ſanctita-

23) Plato Ione l. c. Xenoph. Symp. III, 3, 6. Diog. Laërt. II, 11. Tatian. adv. Graec. 37. 48. Conf. Bayle Dict. v. Anaxag. et Monboddo Antient Metaphyſics Vol. III. p. 108. Ex quatuor illis Theagenes bis laudatur in Scholiis, item bis Anaxagoras, ſemel Metrodorus ad κ. 252. p. 251., Steſimbrotus ter λ. 635. ο. 193. φ. 76. bis in Schol. Apollonii Rh. et in Etymol. M. p. 277. 465. Additur a Platone Glauco, forſan ille Teïus ap. Ariſtot. Rhet. III, 1., qui de tragica ſeu rhapſodica actione ſcripſerat. Niſi potius placuerit Sydenhamii corr. Γλαῦκος propter Schol. ad λ. 635., ubi Glaucus ſubiungitur Steſimbroto. Minus etiam novimus Anaximandrum Xenophontis. Nam clarus diſcipulus Thaletis ex ratione temporum non potuit eſſe Nicerati magiſter: cognominis filius illius potuit eſſe; at ne de hoc quidem tale quidquam legitur.

24) Diog. Laert. VIII, 21. IX, 1. 18. ibique Intpp.

te vatis ab omnibus et quodammodo a ſe ipſis credita non ſunt deterriti, ne palam reprehenderent, quae in eo abhorrere putarent a vera ſapientia et ab optimis moribus. Sed nec prioribus illis, ſive allegorica et anagogica ſomnia ſua ipſi crediderunt, ſive ab aliis duntaxat credi voluerunt, idonea deeſt excuſatio. Ita enim ratio comparata eſt, ut libris, quos a teneris ſtatim annis cognoſcimus, omnes prope noſtras noſtraeque aetatis opiniones ſubiiciamus; ac ſi illi populari uſu iam pridem conſecrati ſunt, ipſa obſtat veneratio, quo minus in iis abſurda et ridicula ineſſe credamus. Lenimus ergo atque adeo ornamus interpretando, quidquid proprio ſenſu non ferendum videtur; idque quo doctius et ſubtilius facimus, eo religioſius facere videmur. Atque ita factum eſt omni tempore in libris iis, qui pro ſacris habiti ſunt. Quod ſi fit eo conſilio, ut cognitioni eorum ſua utilitas conſtet in vulgus, nihil in eo video reprehendendum. Nam ad veram i. e. hiſtoricam interpretationem paucis in locis revocari poteſt maior numerus illiteratorum. Neque illam ſatis norant Graecorum doctiſſimi: alioquin Homerum ſuum et lenius vituperaſſent, nec tanto conſenſu ei omnium maximarum rerum ſcientiam tribuiſſent.

Hoc qui fecerint et quomodo, per omnia ſaecula perſequi, fonteſque et rivulos allegoricae interpretationis indagare, longae hiſtoriae materia eſt. Socrates quidem, ſapiens in primis ſobrius, illam non niſi ludendo attigit; quem deinde quo-

damnodo fecutus eft Plato, ubi populariter philofophatur [25]). At idem in eo opere, in quo morum optimorum et civitatis omnibus partibus perfectae exemplar deformavit, clare fignificat, fibi ea non videri vere ineffe in Homero, quae allegorica ifta ratio oftentaret. Iam quum philofophus ille, primus, ut nobis videtur, ex aliquot generibus, maxime fcenico, poëticae arti naturam affingeret μίμησιν, leves autem putaret et fluxas res effe, in quibus illa μίμησις verfaretur, (ftabilitatem enim et veritatem folis ideis fuis tribuebat,) hanc artem, utpote tertio gradu remotam a coelefti veritate, ipfam quoque vanam contemnendamque et pravam magiftram vitae effe demonftrabat [26]). Itaque et Homerum et Tragicos cum omni grege ῥαψῳδῶν, χορευτῶν et muficorum ex nova civitate eduxit. Primariam illius fententiam de arte poëtica fufcepit Ariftoteles in celebratiffimo libello, correctam quidem paffim a fe, verum ne fic quidem explicatam, ut cuique generi Carminum fatis conveniret: adeo didafcalicum genus ab eo prorfus excluditur. Neque poft Ariftotelem quisquam philofophorum

25) De Socrate infignis locus eft in Xenoph. Memorab. I, 3, 7. Ex Platone plures laudat Schowius ad Heraclid. Alleg. p. 223. quibus praeter alios multos addendus eft Alcib. II. p. 147.

26) Praecipue legendi funt ftudiofis tres libri de Rep. II. III. X. maxime a p. 603. cum II. de Legg. a p. 668.

veram vim illius artis aut hiftoricam interpretationem recte asfecutus videtur. Nam dum Epicurei omnem poëfin et muficam reiiciebant, negabantque fub Homeri fabulis latere doctrinam, ceterae fectae magno ftudio ad veteres ὑπονοίας recurrebant, Stoici in primis, Zeno, Cleanthes, Chryfippus, ex quorum fcriptis maximam partem ea funt haufta, quae Heraclides f. Heraclitus, Cornutus, Euftathius afferunt. Illis autem fe oppofuit Ariftarchus, verbis poëtae ubique fideliter inhaerendum, et iftam doctrinam meras nugas effe putans [27]). Neque vero Ariftarchi auctoritas a nugatorio ftudio deduxit philofophos, quorum etiam infequentibus faeculis fere nullus fuit, qui non Homero ἀπόῤῥητα quaedam vel certe decreta fectae fuae obtruderet. Hinc facete Seneca [28]): Apparet nihil horum effe in illo, cui omnia infunt; ifta enim inter fe disfident. Eodemque pertinet quaeftio, an philofophus fuerit poëta, tractata illa Favorino, Longino, Oenomao et aliis. In qua quomodo verfatus fit Porphyrius, ex eius Scholiis et feorfum editis opufculis apparet. Nempe ex hoc tempore maxime relabuntur Graeci in illum morbum, ut ubique allegorias five anagogicas five hiftoricas captent. Hisce armis Homerum Proclus defendebat contra Platonem; ita Simplicius in fabulis παραπετάσματα verae fapientiae videbat; ita denique in-

27) Vide Euftath. p. 3. 40. 561. 614.

28) Epift. LXXXVIII. non l. a. pr.

sima aetate, ne plures appellem, Mich. Psellus, Eustathii amicus, et Nicephorus Gregoras, ille utrumque Carmen, hic Ulyssis errores explicabat.

XXXVII.

Sed de antiquis illis, (redeundum enim nobis eo, unde digressi sumus,) parum constat, quomodo reliquis interpretis functi sint officiis. Quippe eos non in una ista re operam lusisse, sed etiam artem poëtae et alia quaedam illustrare aggressos esse, ex Platonis Ione et memorabili quodam loco Aristotelis coniicio, in quo οἱ ἀρχαῖοι Ὁμηρικοὶ notantur, tanquam nobilis ordo doctorum hominum, in minutissimis haerentium quasi Masorethica cura [29]).

Paullo melius aetate Periclis in interpretatione Homeri elaborasse videntur Sophistae, qui omnia, quae tum liberali studio digna habebantur, ad disciplinam suam redigere soliti, ne grammatica quidem praecepta et optimorum poëtarum lectionem sibi negligendam putaverunt. Ita Prodicum legimus de veris potestatibus vocabulorum et caussis earum subtiliter disputasse [30]), itemque Protagoram et Eleum Hippiam ea plane instituisse tractare, quae propria sunt doctae interpretationis [31]). Quam feliciter illi, quaerere nihil attinet. Nam primi conatus tales res ad praeceptionem artis revocandi adeo sunt difficiles, ut summis ingeniis in iis labi liceat honeste, quae uno saeculo post vix tirones impune nesciant. Quo ex genere illud est, quod de usu imperativi modi verborum praecepit Protagoras, reprehendens poëtam, quod Musam immodestius invocarit. Hippiam vero etiam in suis ἐπιδείξεσιν apud Platonem in cognomine dialogo ita disputantem videmus de Homero aliisque poëtis, ut ad dubitationes et quaestiones de illorum sententiis, virtutibus et vitiis responderet. Unde perspicuum est, προβλήματα seu ἀπορίας et λύσεις illas, in quibus postea eruditi alumni Alexandriae tantopere laborabant [32]), iam in philosophorum et Sophistarum scholis celebrari coepisse. Nec aliunde ducenda sunt initia critici studii, quod ipsae illae ἀπορίαι multis in locis commovere potuerunt.

Duae huiusmodi emendationes supersunt Hippiae Thasii, quarum alterius ne locum quidem

[29]) Metaphys. XII. p. 450. B. Duval. (XIV. extr.) Puto enim cum Sylburgio, locum hunc de enarratoribus, non de imitatoribus Homeri intelligendum esse. Sic et Eustath. p. 260. ponit τοὺς Ὁμηρικούς.

[30]) Plato Charm. p. 163. D. Men. p. 75. E. Cratyl. p. 384. B.

[31]) De Protagora v. Aristot. Poët. 19. Contra quod scripsisse deinde Grammaticos, arguunt Scholl. et Eust. p. 10. De Hippia Plat. Hipp. II. pr. Cic. de Or. III, 32., ubi illi tribuitur cognitio poëtarum, universeque de Sophistis Isocrat. Panathen. p. 436. 446. T. II. Auger.

[32]) Porphyrii Schol. ad Il. ι. 684.

inveniremus, (adeo mutatus eſt textus noſter,) niſi eum Ariſtoteles in transcurſu indicaſſet [33]). Eſt ille Il. *β*. 15., ubi tum pro verbis, Τρώεσσι δὲ κήδε' ἐφῆπται, legebatur fere ut *φ*. 297., δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι. Impium putabatur, Iovem his verbis id plane promittere, quod eventurum non eſſet; quaſi in ceteris Iupiter ſecus ageret cum Agamemnone quam Iehova cum Achabo I Regg. XXII. Sed Hippias, acumine artibus Loyolae digno, verbum δίδομεν mutavit in διδόμεν, infinitivum pro imperativo accipiendum, ut transpoſitus accentus culpam fraudis a Iove reiiceret in Somnium. Alter locus eſt *ψ*. 328., ab illo ita correctus ut hodie legitur. Ubi ſi Hippias primus olim vulgatum οὗ expulit, aequalesve eius alias tales ſcripturas in exemplis ſuis propagarunt, qualis nuper ex πολιτικοῖς cognita eſt in *φ*. 454. θηλυτεράων pro Ariſtarchea τηλεδαπάων, facile intelligitur ex his ſpeciminibus, quam turpia vitia haeſerint in exemplis huius aetatis. Sed de illis plura licet ſuſpicari quam ſcire. Quum autem eos quoque locos Homeri, qui ab Herodoto et aliis antiquioribus ſcriptoribus laudantur, non raro a librariis ad vulgarem formam textus mutatos eſſe ex ipſorum codicum hodieque exſtantibus lituris appareat,

[33]) Ibid. 25. et praec. Elench. ſophiſt. p. 284. C., ubi v. Pacii Comment. analyt. ad Organon p. 485. In illo cap. Poëtices plura ſunt firmandae noſtrae opinioni de antiquitate Homericorum προβλημάτων et λύσεων.

quam diverſum illum habituri eſſemus, ſi ex bibliotheca alicuius Sophiſtae vel pulchri Euthydemi [34]) deſcriptum acciperemus!

Nam illis iam temporibus vigente libraria quadam mercatura, haud dubie copia exemplarium fuit apud litteratum quemque, in primis apud magiſtros ſcholarum, qui antea memoriter omnia praeierant diſcipulis. Hinc eſt nota ira Alcibiadis in hominem illius ordinis, apud quem quum ne unam quidem rhapſodiam Iliados inveniſſet, colaphum ei inflixiſſe dicitur [35]). Ergo poſtulari tum poterat, ut in ſchola bene inſtituta exemplar Homeri eſſet, ſi minus univerſae poëſis, at aliquarum certe partium. Quocirca mox alius magiſter ſeſe obtulit Alcibiadi dicens, habere ſe Homerum, et quidem a ſe ipſo emendatum. Tum ille, Itane? inquit: tu Homerum emendare ſcis, et tamen pueros doces, ac non potius adoleſcentes!

XXXVIII.

Haec narratio nobis occaſionem offert in univerſum dicendi nonnulla de ortu ſtudii critici, ex quibus exiſtimare liceat de conditione earum recenſionum, quae hoc ſaeculo feruntur factae eſſe.

[34]) Xenoph. M. S. IV., 2, 1.

[35]) Plut. in Alcib. p. 194. D. cf. Apophthegm. p. 186. D. Aelian. V. H. XIII, 38. ubi v. Perizon. collatis quae ſupra monui p. CVIII. Minus ambigue Plut. dixit βιβλίον Ὁμηρικόν.

Nunc enim nemo, puto, mirabitur, Graecos iam tum, quum profperrima forte fua ingeniofiores effent quam doctiores, et ab illa πολυμαθεία, cui reges deinde otium praebuerunt, alieniffimi, animum paullatim applicuiffe ad eam artem, quae tota collecta eft ex multiplici doctrina litterarum et antiquitatis. Etenim quae caufae maxime perduxerunt veteres ad criticam artem, iam tum eaedem exftiterant omnes. In quibus primo loco pofuerim modum illum confervandorum olim Carminum ope unius memoriae, proximo errores et fraudes in prodendis auctoribus eorum, tertio varios facillimosque lapfus rudium manuum in primis exemplaribus parandis. Sed etfi haec poftrema caufa eiusmodi eft, ut poft aliquot faecula iftius artis defiderium neceffario fuiffet allatura, tamen qui Graecos norit, facile intelliget, ad tam minutulas curas ingenium eorum nec tam mature nec tanto ftudio potuiffe defcendere, fi fola omni fcripturae communia menda libros corrupiffent. Maneat igitur, fingularem fortunam Homericorum et fupparum monumentorum extudiffe quodammodo philologam criticen, idque etiam antea, quam nomen Critici aut Grammatici vulgo auditum effet [36].

36) Hac II. aetate vocabulum γραμματικοῦ non *profeffionis* erat, fed *fcientiae*. Priusquam enim magnitudines artium, ut Cicero ait, diminui coeperant partium distributione, ἀγράμματος dicebatur is, qui

Nam fac, quod ne aliter quidem fingi per hiftoriam licet, decem vel viginti exemplaria poft primum illud fcripturae tentamen a viris privatis, ut puta a rhapfodis, facta effe: annon in ea ftatim

fcribendi et legendi facultate carebat, qui eam tenebat, γραμματικός, ars ipfa γραμματική, quae proprie erat γραμματιστοῦ f. γραμματοδιδασκάλου. Hic ufus eft Platonis (Phileb. p. 18. D.) Xenophontis (M. S. IV, 2, 20.) Ariftotelis (Top. VI, 5. p. 247. B.). Atque illa quidem poftea a nonnullis ἀτελεστέρα γραμματική dicta eft, quando latiores fines occupaverat Grammatica τέλειος f. ἐντελής, (cf. Sextum Empir. c. Math. I. §. 44. 75.) cui ad Cratetem usque Critice tanquam pars fubiecta erat. Sed huius five partis five propriae doctrinae nomen non legitur ante aevum Alexandrinum, nifi in dialogis Aefchinis et Cebetis, quos fpurios effe, nuper Meiners optime docuit. Rem igitur, non nomen et profeffionem fpectavit Dio Chryfoft. Or. LIII. dicens ab Ariftotele τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν: etfi ne hoc quidem in iactura tot exotericorum librorum Ariftotelis a nobis fatis firmari poteft. Ac minus etiam clarum eft, quod de Apollodoro Cumano traditur a Clemente Alex. Str. I. p. 309. feu de Autodoro in Theodofii Schol. ap. Burm. ad Valef. Emendd. p. 146. et Villoif. Anecd. Gr. p. 173. Neutrius enim, fi tamen diverfi funt, aetatem tenemus. Relinquitur ergo, ut rei, non nominis, primordia exquiramus. Reliquam hiftoriam Grammaticae et Criticae docte perfequuntur praeter Valef. l. l. Mauffacus, Wowerius, Fabric. ad Sextum, Walchius fingulari libello.

plurimas variationes inferri oportuit, partim ex variis recitandi modis, partim ex ingenioſa libidine deſcribentium? Quanquam enim nullo tempore evanuit apud Graecos perſuaſio de divina origine Homeri ſui, tamen in eius oratione, ſicut in interpretatione, nunquam deſierunt ſumma levitate mutare quidlibet, corrigere, fingere ad libitum, ut digniſſima demum numinis afflatu proferretur. Neque hoc profecto mirum eſt, quum multo graviorem populum Iudaeorum ſatis diu eandem rationem tenuiſſe videamus. Iam ſi nova ſubinde exemplaria fierent ex illis, niſi indoctus librarius proximum quodvis arreptum fideliter deſcribebat, ii qui illa curabant, collatis pluribus exemplis, rem vix aliter aggredi potuerunt, quam ut iudicando eligendoque, quod cuique loco videretur aptiſſimum, formam textus multis partibus aliam facerent. Talis autem novus textus, ut tum erant tempora, neque perferri potuit in publicam notitiam, (quippe privatus labor erat,) neque alios revocare ab ſimili inſtituto et opera ſcilicet emendandi. Sic aucto ſenſim numero codicum, fons ille Piſiſtrateus, ſi modo is unus fons fuit, in plures diverſi velut ſaporis rivulos diductus mox impediebat accuratae lectionis ſtudium. Ergo ſi intelligentior aliquis, et qui idem eſſet poëta, aut certe non alienus a poëtica facultate, (nec quisquam alius, quod conſtet, ante Ariſtophanem Byz. talem curam ſuscepit,) ſed ſi quis intelligens et ſtudioſus antiquae elegantiae, ſibi ſuisve amicis paraturus

novum exemplar [37]), optimos, quos alicubi ſervari audiſſet, codices comparaverat, perſaepe in maxima difficultate iudicandi, quid verum eſſet et genuinum, nullum videtur habuiſſe praeſidium promptius meliusque ingenio ſuo.

Penitus hic nobis tollenda eſt opinio, qua Criticos illius aetatis ad hanc novae artis formulam fingimus. Ne ipſum quidem Ariſtarchum ex hac formula iudicandum eſſe, paullo mox demonſtrabo. Nimirum primum artis ingreſſum vagum in primis et temerarium fuiſſe reperimus, ſive materiem eius in antiquis διαφωνίαις rhapſodorum et codicum, ſeu Graeci ingenii indolem, ſeu horum temporum conditionem, ſeu denique ipſas reliquias artis ſpectemus. Ut repraeſentarent Homerum fide integra et ſuo habitu, laborabant forſan nonnulli, quantum poterant; at debebant etiam magis laborare, ut nusquam non ſimilis ſui ſeque dignus appareret, detrahendis ſaepe multis verſibus, alibi addendo nitore, ubi nitor nullus eſſet. Quemadmodum igitur hodie elegans homo et ingenioſus, ſed abnormis Criticus, in priſco poëtico

37) Ἰδίως γεγραμμένον, i. e. *privato ſtudio deſcriptum*, quale exemplar utriusque Carminis Caſſander Macedo feciſſe fertur ap. Athen. XIV. p. 620. B. De hac regia cura tamen non disſentio a Fabric. Bibl. Gr. p. 361. Non γράφειν dixiſſet Athenaeus, ex more Grammaticorum Graecorum, ſed διορθοῦν, ſi emendatio acceſſiſſet.

monumento nostrae linguae versaretur, quod lacerum forte reperisset, et a multis lectoribus in margine variatum, ita ferme primos illos emendatores in corrigendis et concinnandis vatibus suis operam navasse contendo. Adeo longe abfuerunt illi ab hac severitate, quae cavet, ne quid aliud quam ab ipso auctore operis scriptum inducatur: tametsi ne nunc quidem illum scopulum satis fugiunt, qui ingenio valent. Denique omnis haec ars profecta est potius ab aesthetico, quod nostrates vocant, quam critico iudicio, vel, ut ita dicam, a poëtica potius quam diplomatica fide. Praeter reliqua huius rei argumenta, quae ex universo libello nostro facile ad perfectam inductionem colligi poterunt, ipsa illuc ducit ratio, quam vel optimos Alexandrinorum in emendando secutos esse videbimus.

XXXIX.

Atque hoc, quidquid est, longe manifestius ostendere liceret, nisi antiquiora illa meditamina critices prope omnia obscurasset insequens aevum, obscuratum deinde et ipsum multis modis. Attamen ante Zenodotum octo diversae scripturae exempla, Graeci διορθώσεις vocant, nominatim ad nos perlata sunt. Duae harum διορθώσεων nomina gerunt celeberrimorum virorum, Antimachi, Colophonii poëtae, et Aristotelis, cuius ingenium ferax beatissima rerum maximarum copia nullum venustiorum Musarum opus dedignabatur. Et has quidem recensiones putet aliquis prae ceteris numerandas esse in iis, quae in Scholiis dicuntur αἱ κατ᾽ ἄνδρα [38]). Distinguuntur ab his αἱ πολιτικαί, s. αἱ κατὰ πόλεις, αἱ ἐκ πόλεων, ignotis auctoribus. Earum duas, quasi clarissimae famae, iam dudum Eustathius ad Iliadem una cum Aristotelea nominaverat, Massilioticam et Sinopicam; nuper ex Lipsicis et Venetis Scholiis quatuor aliae accesserunt: quarum si, ut quaeque numero pluribus lectionibus innotuit, ita cuique honoratior locus debetur, (nullum autem videmus certum ordinem,) ita illae ordinandae sunt, *Massiliotica*, *Chia*, *Argiva*, *Sinopica*, *Cypria*, *Cretica*. Ex Massiliotica, quam propter originem huius civitatis quodammodo Ionicam dixeris, lectiones ad viginti, ex Chia ad duodecim, et ita deinceps pauciores, e Cretica ex Seleuci notatione unam accepimus.

Quoniam vero de his recensionibus omnibus praeter Scholiastas illos omnis silet antiquitas, non solum id incertum est, a quibus curatae, et utrum publica auctoritate an rogatu privatorum factae sint, sed etiam cui sint aetati assignandae. Sed eas huc a me reponi nemo mirabitur, quum idem videantur fecisse et alii; at quae earum ratio et conditio fuerit, coniectura magis in ambiguo est. Nam vetustatem earum omnibus in locis, ubi

38) Duobus tantum his locis novorum Scholiorum, χ. 108. ψ. 88. Scholiorum nomen hic et alibi simpliciter tribuo Venetis.

commemorantur, illud ſatis oſtendit, quod vel praeponuntur Zenodoto, Ariſtophani horumque aequalibus, vel certe cum his componuntur; ne de aliis indiciis dicam, quae paſſim vel in Graeculorum negligentiſſima oratione agnoſcas [39]).

39) Quia raro una quaedam harum editionum ſeorſum laudatur, ne eundem locum neceſſe habeam ter et quater notare, omnes hic in unam ſeriem conferam. Pleraque illorum ſoli praeſtantiſſimo cod. A. deberi, evolventi apparebit: ad α. 97. 298. 332. 381. 424. 435. 585. 598. β. 258. γ. 10. 51. μ. 281. ν. 363. ξ. 349. 418. ο. 44. π. 127. ρ. 133. σ. 39. 502. τ. 56. 76. 86. 96. 117. 386. υ. 62. 188. 308. φ. 11. 86. 88. 162. 351. 454. 535. χ. 51. 93. ψ. 77. 206. 870. 879. ω. 30. 109. 192. 332. Lectoribus, adhuc aegre carentibus indice Scholiorum illorum, hanc operam noſtram in reliquis quoque gratam fore ſperamus. Hic vero in primis eos numeros, qui lineola ſignati ſunt, dignos ſua cura habeant ſtudioſi. Sic enim notavi eos, qui aliquid promittunt in utramque partem inſignius, vel quod disputationem meam de illis διορθώσεσιν illuſtret. In Lipſico cod. hic nihil eſt, quod deſideremus in Venetis, niſi quod in illo ad ε. 461. notatio codicis B. legitur auctior mentione Sinopicae et Cypriae et Antimacheae, in quibus tribus editt. Schol. narrat fuiſſe ΤΡΩΙΑΣ i. e. Τρῳάς, cum iota adſcripto ſeu ſubſcripto, quod tamen in exemplo ſuo non invenerat Lesbonax περὶ σχημάτων ed. Valcken. p. 183. Neque vero hic Lesbonax magis quam Euſtathius in iſto verſu vidit vulgatam adhuc ſcripturam, ſed eam, cui in eodem Lipſ. Scholio unus patronus affertur

Quae omnia conſideranti mihi ſaepius venit in mentem, ut recenſionibus his primos ſtatim Criticos, qui verius appellantur, uſos eſſe, atque earum auctoritatem et nomina in bibliothecis Ptolemaeorum quaerenda coniicerem. Notiſſimum eſt, quantum cupiditatis et curae hi reges impenderint in illum theſaurum ſuum, coemendo libros undecunque, ac modo precibus, nunc vi, nunc aliis modis conquirendo antiquiſſima et rariſſima exemplaria ſcriptorum Graecorum. Ergo ſi forte Antimachi heres, qui Homerum circumferre in animo et nummos in loculis amaret, codicem obtulerat manu Colophonii poëtae ſcriptum vel ingenio eius elimatum, Ptolemaeos haud dubie cupidiſſimos emptores habuit. Ita ex pluribus locis et urbibus Alexandriam, etiam ad privatos, paullatim confluxiſſe videntur codices Homerici, legitima mox materies curioſioris emendationis. Minime autem mirum eſt, ſi de multis eorum nihil aliud conſtabat, niſi unde quisque domo eſſet, non, a

Ptolemaeus Aſcalonites: ἡ μέντοι κοινὴ ἡ συντίθεται καὶ ὁ Ἀσκαλωνίτης, Τρῷας ὡς Κᾶρας. In textu ibi ſyllabae poſteriori Τρώων ab alia manu vetere ſuperſcriptum eſt ᾶς. Redimus ad Veneta Scholia. In quibus, ſi quis reputarit, per 8 libros ne unum quidem veſtigium apparere exemplarium illorum, intelligat oportebit, id quod in his coniecturalibus quaeſtionibus magni momenti eſt, quam parum integris tabulis uti nobis contigerit, neque in his tamen nihil eſſe, unde probabilitas duci queat.

quo eſſet exaratus. Qua in dubitatione praefecti bibliothecae id unum referre potuerunt in catalogos ſuos, codicem hunc ex Chio, illum Maſſilia, alium aliunde allatum. Eodem plane modo tradit Galenus adeo ex navibus Graecorum, qui ad Aegyptum appuliſſent, ablatos eſſe regio iuſſu libros, qui, confeſtim apographis factis et ad dominos remiſſis, repoſiti eſſent in magna bibliotheca cum hac inſcriptione, ΤΩΝ ΕΚ ΠΛΟΙΩΝ [40]). Cui titulo quid ſimilius eſt quam hic, quo editiones illae notantur, ΑΙ ΕΚ ΠΟΛΕΩΝ, ΑΙ ΑΠΟ ΠΟΛΕΩΝ?

Quodſi hae editiones tali modo diſcernebantur ab iis, quarum noti erant auctores, facilior exiſtimatio eſt de auctoritate earum. Publico iuſſu illas factas eſſe vel ſervatas publice, cave cuiquam ante credas [41]), quam probabili argumento demonſtratum fuerit, eiusmodi inſtituta olim in civitatibus Graeciae obtinuiſſe, quae res, meo quidem iudicio, non cadit in iſta tempora. Quum autem antiquitus, ut praedixi, vix quisquam alius quam poëta aut rhetor ſeſe dederit ad haec critica ſtudia, forſan eadem harum πολιτικῶν διορθώσεων auctoritas fuerit, atque illa, quam in Antimachea et ceteris huius aevi amiſimus. Verum licet in variis ſcripturis illarum, tam fortuito ad nos transmiſſis, nonnullae ſint ſatis bonae, duae tres etiam praeſtantiores vulgatis, multo tamen maior numerus confirmat id, quod ante ſuſpicatus ſum, accuratiorem formam Homeri prodiiſſe tandem e muſeis Alexandrinis. Atque nemo, re diligenter cogitata, dubitet, quin urbis huius Critici eorumque diſcipuli antiquae ſcripturae fontes omnes adire ſtuduerint, unde textus videretur purior hauriri poſſe [42]). Iudicent igitur eruditi, qui gnari ſunt hu-

[40]) Illuſtris locus eſt in hiſtoria Hippocratici III. libri Epidemiorum ap. Galenum Comment. ad illum librum ὑπόμν. β. p. 411. inf. T. V. Baſil. Φιλότιμον περὶ βιβλία τόν τε βασιλέα τῆς Αἰγύπτου Πτολεμαῖον οὕτω γενέσθαι φασὶν, ὡς καὶ τῶν καταπλεόντων ἁπάντων τὰ βιβλία κελεῦσαι πρὸς αὐτὸν κομίζεσθαι, καὶ ταῦτα εἰς καινοὺς χάρτας γράφοντα, διδόναι μὲν τὰ γραφέντα τοῖς δεσπόταις, ὧν καταπλευσάντων ἐκομίσθησαν αἱ βίβλοι πρὸς αὐτόν, εἰς δὲ τὰς βιβλιοθήκας ἀποτίθεσθαι τὰ κομισθέντα, καὶ εἶναι τὰς ἐπιγραφὰς αὐτοῖς, ΤΩΝ ΕΚ ΠΛΟΙΩΝ. Ἓν δέ τι τοιοῦτόν φασιν εὑρεθῆναι, καὶ τὸ τρίτον τῶν Ἐπιδημιῶν ἐπιγεγραμμένον, ΤΩΝ ΕΚ ΠΛΟΙΩΝ, ΚΑΤΑ ΔΙΟΡΘΩΤΗΝ ΜΕΜΝΟΝΑ ΣΙΔΙΤΗΝ. Sed legendus eſt totus locus, in primis ea quae ſequuntur, quibus uſi ſunt viri docti plerique, qui de bibliotheca Alexandrina ſcripſerunt.

[41]) Vide Villoiſonii eruditiſſima Prolegomena ad Il. ſuam p. XXVI.

[42]) Iam huc pertinet locus Diog. Laert. IX, 113., ubi quaerenti Arato, poëtam correcturo, πῶς τὴν Ὁμήρου ποίησιν ἀσφαλῶς κτήσαιτο, reſpondet Timo Phliaſius, εἰ τοῖς ἀρχαίοις ἀντιγράφοις ἐντυγχάνοι, καὶ μὴ τοῖς ἤδη διωρθωμένοις. Ibi Caſaubonus: Si verum eſt quod Ioſephus ait, Homerum ſua poëmata ſcripta non reliquiſſe, ſed διαμνημονευόμενα multo poſt ſcripta fuiſſe; non video, quomodo ſatis emendata poſſint ea haberi, vel ſi antiquiſſimos habeamus co-

ius divinationis, annon in iis quoque recenſionibus, quae in Scholiis vocantur αἱ ἀρχαῖαι, αἱ πλείους, αἱ πλεῖσται, αἱ πᾶσαι, lateant quaedam aetate priores Alexandrinis: ex quo ſimul intelligas, cur illarum mentio tam parum explicita ſit: etſi pleriſque locis et illae et αἱ χαριέστεραι ſ. χαριέσταται manifeſto ſunt Grammaticorum, Scholiaſtis noſtris ex Tryphonis, Didymi aliorumque ὑπομνήμασι cognitae [43]). Iſtos enim compilatores nihil

dices; ſiquidem veriſimile eſt, non paullo aliter ea fuiſſe ſcripta, ac eſſent ab ipſo compoſita. Mox Menagius, mentem Caſauboni, non verba ſpectans: Recte hoc loco obſervabat Caſaub. ex Ioſepho, Homerum ſua poëmata ſcripta non reliquiſſe, ſed διαμνημονευόμενα, multo poſt ſcripta fuiſſe.

[43]) Ad ι. 653. ſunt πολλαὶ τῶν ἀρχαίων, uti fere ζ. 4. ι. 222. ex ipſius Ariſtarchi commentariis; ad ε. 83. ſemel οἱ ἀρχαῖοι Κριτικοί, in quibus alicui forſan οἱ ἀρχαῖοι Ὁμηρικοὶ Ariſtotelis in memoriam redibunt. Ἁπάσας advocant Scholia ad α. 117. 124. 433. 522. 531. 567. 585. 598. β. 163. 196. η. 171. ι. 394. 635. κ. 346. λ. 439. μ. 67. ξ. 112. 259. ο. 18. 114. 272. 307. τ. 95. φ. 106. 122. ψ. 548. etc. Alibi ſunt αἱ πλείους, et aliquoties iunctae illis αἱ χαριέστεραι h. e. elegantiores, maiore doctrina et cura expolitae; ἀκριβεστέρας appellat Euſtath. Vide β. 12. 53. 164. 192. 196. 415. γ. 18. 51. 292. δ. 213. κ. 291. 341. λ. 503. μ. 318. 382. σ. 499. υ. 30. χ, 251. 315. ω. 97. Eodemne referendae ſint αἱ κοιναί ſ. κοινότεραι. αἱ εἰκαιότεραι, αἱ μέτριαι, τὰ φαῦλα ſ. φαυλότερα τῶν ἀντιγράφων, pluribus de cau-

tam antiquarum opum habuiſſe in manibus, infra planius fiet. Quare mirandum non eſt, carere nos pleniore notitia illarum omnium: quippe ad plures rhapſodias vix ulla animadverſio exſtat ex hoc genere; ac, ſi decem quindecimve Scholiis pauperiores eſſemus, ne his quidem coniecturis locus eſſet relictus.

XL.

Ita nunc demum ex iisdem optimis Scholiis innotuit nobis recenſio Antimachi. Etenim qui loci ſex antea de eo legebantur apud Euſtathium, ii non erant eiusmodi, ut inde certius aliquid diſci poſſet, quam Euſtathius ipſe ſe ſciſſe prodit. Quocirca facilem veniam apud eruditos habuit error olim meus, fidem negantis Euſtathio et Suidae, qui Antimachum ſimpliciter in Grammaticis numerant, aliumque putantis poëtam Thebaïdos,

ſis conſtitui non poteſt, praeſertim apud Euſtath. Sed nunc tantum vide mihi Scholl. ad β. 53. γ. 406. ε. 797. ι. 324. ο. 50. 197. ρ. 214. σ. 100. 376. τ. 95. υ. 255. 384. φ. 587. χ. 468. 478. ω. 214. 344. etc. In quibus modo eſt inſtans tempus, modo praeteritum, γράφουσιν, ἐγέγραπτο. Praeterito autem fere ſemper utuntur Scholiaſtae de Zenodoti et aliis editt., quarum dudum oblitterata erat memoria. Ceterum haud multum diverſas ab his κοιναῖς etc. eſſe puto τὰς δημώδεις, ε. 881. ϑ. 349. ξ. 125. 235. Πολιτικαῖς vix conveniebat nomen δημῶδες ſeu δημοτικόν.

alium criticum Homericum [44]). Nunc vero quanquam Antimachus in novis Scholiis ſemel modo laudatur nomine Colophonii, atque ibi ut unus τῶν μετ᾽ Ὅμηρον, (i. e. poëtarum inde ab Archilocho, ex quorum uſu ſermonis Homèrici apparebat, quomodo ipſi hunc intellexiſſent,) pluraque ex Carminibus illius quam ex recenſione Homerica afferuntur [45]), omnibus tamen collatis reliquiis plane effectum puto, unum ubique poëtam Colophonium, Socratis aequalem, intelligendum

[44]) In Epiſt. ad Schellenbergium meum Collect. Reliq. Antimachi p. 119. ſqq. Illic a me ſcripta refutavit deinde Villoiſ. Prolegg. p. XXIV., ego autem rem retractavi in edit. illius Cenſura, quae inſerta eſt Ephemeridd. univerſ. litter. Ienae prodeuntibus A. 1791. N. 31. Inde nunc repetenda ſunt, quae rerum ordo poſcit, alia corrigenda et diligentius perſequenda.

[45]) Poſterioris, ad criſin propius ſpectantis, generis loci ſunt ad α. 298. 424. 598. φ. 607. χ. 336. ψ. 604. (ubi perperam ſcriptum αἱ pro οἱ primo adſpectu famam duplicis editionis Antimacheae ſpargebat,) 871. ω. 71. quibus add. Euſtath. ad φ. 397. p. 1243. Prioris ſunt hi loci: ad α. 1. β. 2. γ. 197. δ. 400. 439. (cf. ad ν. 299. ο. 119.) ε. in brev. Schol. 389. ζ. 200. λ. 753. ξ. 499. 500. ρ. 133. ψ. 845. ω. 23. Plura in his indigna ſunt docto poëta, et e quibus de diſciplina Steſimbroti, cuius ille diſcipulus fuiſſe fertur, non optime exiſtimes. Sed in iis immorari nunc non vacat.

eſſe. Ceterum ſpecimina iſta haud magnum nobis deſiderium movent huius exemplaris. Tametſi etiam hic animadvertendum eſt, de univerſo corpore iudicium fieri non poſſe ex tam minutis articulis, et ea ipſa, quae nobis vitioſa et abſurda videri debent, olim plurimis exemplaribus fortaſſe communia fuiſſe.

Sed quantum caeco caſui debeatur in conſervandis his articulis et fruſtulis, memorabile documentum videmus in eo, quod eius recenſionis, quae vulgo ad Ariſtotelem refertur, τῆς ἐκ τοῦ νάρθηκος, ne ſemel quidem mentio fit in Scholiis noſtris. Apponitur quidem Ariſtotelis auctoritas in quadam varietate lectionis, non ſic tamen, ut id ex recenſione illa enotatum eſſe appareat [46]). Neque vero aliunde ſubvenit certior notitia celeberrimi monumenti, quod, teſte Plutarcho, ſolam Iliada continuit. Praeterea comparati inter ſe Plutarchus et Strabo ſignificant, in ea plurium hominum doctorum et ipſius Alexandri M. emendatrices manus

[46]) Vid. ad β. 53. ubi in α. 187. ἄντα ſcribitur. Fide digniora ſunt, quae traduntur ad φ. 252. et in Theocriti Scholiis ad Odyſſ. π. 176. ubi v. Barneſ., longeque plura ex hoc genere in ipſis Opp. Ariſtot. Ac talia in iis libris eius, qui perierunt, aliquammulta fuiſſe credibile eſt, etiam illuſtrationes lectionum, cuiusmodi illa eſt ap. Aelian. N. A. XV, 28. In Venetis ad β. 447. et ι. 21. cuivis apparet, Ariſtotelis nomen mutandum eſſe in Ariſtophanis.

occupatas fuiſſe [47]). Quodſi uterque horum ſcriptorum fidos duces ſecutus eſt, Alexander primum a magiſtro Stagirita acceperat librum illum, quem mox comitem expeditionis ſecum duxit in Aſiam, perque intervalla negotiorum una cum Calliſthene et Anaxarcho [48]) lectum ſuaque manu notatum, tanquam *pretioſiſſimum humani animi opus* in exquiſitiſſimo Perſico ſcrinio repoſuit. Qui codex an poſtea venerit in bibliothecam Ptolemaeorum, et a quo Critico adhibitus ſit ad emendandum, incertiſſimum eſt; adhibitus enim eſſe videri poteſt. Sed multo frequentiore uſu interpretibus trita reperimus eiusdem philoſophi Ἀπορήματα ſeu Προβλήματα Ὁμηρικά et Ἀπορήματα ποιητικά, ex quorum operum priore, maxime in Scholiis Porphyrii, plura ſuperſunt, unde non fragmenta quidem et ipſa verba Ariſtotelis, ſed tamen eius rationem interpretandi cognoſcere licebit [49]). Nobis vero,

[47]) Strab. XIII. p. 594. (888.) Plut. in Alex. p. 668. D. De Alexandri ſtudio Homericorum Carminum vide viri accurate docti Ste Croix Examen des hiſtoriens d'Alexandre le Gr. p. 113., de editione autem τῇ ἐκ τοῦ νάρθηκος disſidentes Giphan. Praef. ad Il. et Kuſter. ad Suid. T. II. p. 8. et Burmann. Sec. ad Valeſ. Emendd. p. 155.

[48]) De hoc vide loca ap. Menag. ad Laert. IX, 58. Calliſthenes ſatis notus.

[49]) Vide ad β. 53. 169. 183. 305. Catal. 156. γ. 276. 277. δ. 88. 93. 297. ε. 741. 778. ζ. 234. η. 93. 228. ι. 17. κ. 98. 153. 252. ν. 295. π. 233. τ. 108. ψ. 269. ω. 15. 569. Praetereo loca, ubi aliquid ex Politiis, ex Hiſt. natur. laudatur, aliaque ut ad λ. 115. π. 149., et ex Rhetoricis petita illa ad α. 303. 481. Omnino in his omnibus perparum adiumenti eſt ad tollendam obſcuritatem ſententiarum et verborum, etſi nonnulla ſatis ſunt ingenioſa et ad hiſtoriam interpretationis utilia.

in hiſtoria textus unice occupatis, omittenda ſunt haec et ſimilia, quum unum hoc iterum monuerimus, quod ipſe titulus illorum librorum indicat, iam ante conditum muſeum Alexandrinum προβλήματα ſ. ζητήματα et λύσεις oblectaſſe otium doctorum, ex iisque curioſiorem omnem interpretationem ſententiarum ortum cepiſſe.

XLI.

Enumeravi octo exemplaria, quorum nomen celebre fuit apud vetuſtiſſimos Grammaticos. Quippe in hoc numero ponendum non eſt Euripideum quoddam, de quo unus Suidas mentionem facit parum accuratam [50]): quamvis haec quoque res habeat hanc vim, ut iure ſuſpicetur aliquis, plura iſtiusmodi rudimenta critices admodum mature obſcurata fuiſſe. Ac ſi omnia perveſtigaveris, forſitan etiam alios invenias emendatores Homeri, qui Zenodoto traditum a Suida principatum ereptum

[50]) Etiam genere loquendi, in hac re minime uſitato, T. I. p. 906.: Ἔγραψε (Εὐριπίδης, τοῦ προτέρου, incertus ſum cuius, ἀδελφιδοῦς) Ὁμηρικὴν ἔκδοσιν· εἰ μὴ ἄρα ἑτέρου ἐστίν.

eant. Attamen huc trahere nolim Neſſum Chium, Democriti diſcipulum, ſub cuius nomine una obſervatio fertur in re metrica [51]); aut Aeſchrionem, a quo unum rectiorem accentum accepimus [52]); aut Lyſaniam Cyrenaeum, in Scholiis bis laudatum, licet is, quum alius Cyrenaeus illo nomine nullus notus ſit, ſane pro Eratoſthenis magiſtro habendus videatur [53]); multoque minus Telephum, Coi Philetae patrem [54]), et alios, quibus

[51]) Ad ι. 378. in vocabulo κάρός, ut iam Ruhnken. in Praef. ad Heſych. p. VII. docuit, primis ſtatim temporibus varie accepto.

[52]) Nam Aeſchriones plures fuerunt clari. V. Ionſii de S. H. P. II. p. 147. Neque doceri poteſt, illum, qui a Schol. et Euſt. ad λ. 239. laudatur, Mitylenaeum eſſe, amicum Ariſtotelis et patrem Lyſaniae eius, de quo mox. Illius ſcripturam λῖς, a Brunckio Anal. III. p. 85. merito praelatam vulgatae λίς, in uno iſto loco tam diu fugiſſe editores, ſane quam mirum eſt. Sed plures in Homero ſunt tam antiquae vel in leviſſimis discrepantiae.

[53]) Conf. Ionſ. l. c. Scholl. ad ι. 378, π. 558. ibique Euſt. p. 1075. Quanquam ad priorem tantum verſum a patria cognominatur.

[54]) Certe quae ad δ. 133. et κ. 545. leguntur, equidem potius Pergameno illi Grammatico asſignaverim, qui Romae docuit, et quem Fabric. p. 525. ab illo bene diſtinxit. Nec, quo illud Schol. ad α. 420. referas, facile dixeris. Disſentire hic et alibi licebit interdum a viro doctiſſimo, quicum mihi convenit de multo gravioribus rebus.

an recte tribuatur Grammatici munus, hodie non ſatis liquet. Sed ipſum, quem dixi, Philetam, magiſtrum Zenodoti, ex optimis poëtis elegiacis, paullo poſt Ariſtotelem aliquid ad corrigendum Homerum contuliſſe, e tribus locis intelligitur [55]). Ne tantum quidem reliquum habemus ex Arati editione Odyſſeae, cui ut Iliada adderet, a *plurimorum corruptelis* liberatam, invitatus dicitur fuiſſe a rege Syriae, Antiocho Sotere [56]). Quod quum exitum non habuiſſet, ſi bene coniicimus, eam

[55]) B. 269. φ. 126. 252. Cf. Scholl. ad ζ. 459. χ. 308. Porphyr. Q. H. 8. extr. Euſt. p. 1235. At nihil attinet Euſtathium eiusque ſimiles nominare, ubi fontes patent in Scholiis. Ipſae emendationes vel animadverſiones illius Critici ſalivam nobis non movent. Prima longe ineptiſſima eſt, nec duae alterae valde dignae ſunt relatu.

[56]) Res a nemine attingitur praeter Suidam T. I. p. 309. et auctorem vet. Vitae Arati in Petavii Uranol. p. 270. A. Poſteriori tamen admove aliam vet. Vitam in Erneſtii Callimacho primum vulgatam T. I. p. 591. Ubicunque Aratum laudant Scholl. et Euſtathius, ablegant nos ad nota Poëmata. Sed notabile eſt, quod iam tum dicebatur Homericum Carmen λελυμάνθαι ὑπὸ πολλῶν, quum vix ullus Criticorum, excepto Zenodoto, ad corrumpendum de induſtria profiluiſſet. Etiam hoc confirmat ea, quae ſuperius dixi de rhapſodis et primis deſcriptoribus, ſponteque in memoriam revocat monitum Timonis n. 42., recte, ut opinor, acceptum a Fabricio p. 368.

operam ſuſcepiſſe videtur Rhianus, nobilis et ipſe poëta, cuius recenſionem nobis pauca fragmenta deſiderabiliorem faciunt [57]), quam quidquid in hoc genere luſit Apollonius Rhodius [58]).

At tribus his poëtis ſuperior aetate fuit *Zenodotus* ille, *Epheſius*, qui maioribus librorum copiis maioreque audacia, quam quisquam poſtea, ad recenſendum acceſſit. Ab illo ad *Apionem* huius hiſtoriae *tertiam periodum* conſtituimus; in qua demum Criticorum et Grammaticorum meritis, qui fungorum modo Alexandriae et Pergami ſuccreſcebant, *conſtantior forma textus* inducta eſt. Iam multis rebus penitus converſa erat facies Graecarum litterarum, uti ipſarum civitatum. Pro foris, pro

[57]) A. 97. 553. π. 559. σ. 10. 11. (non lecti ἐν τῇ Ῥιανοῦ) τ. 41. υ. 188. 331. φ. 607. ψ. 81. ω. 85. Duo vel tria ex his ſpeciminibus habent quod valde displiceat; cetera modeſtum viri ingenium produnt. Atque fortaſſe haec recenſio (id nomen ei vindicat loquendi modus ille, ἡ Ῥιανοῦ, ἡ κατὰ Ῥιανόν) fuit in apparatu Ariſtarchi.

[58]) Eius tres afferuntur lectiones, α. 3. κεφαλάς pro ψυχάς, (ſcilicet ex λ. 55. ubi v. Scholl.) et ν. 657. ἀναθέντες p. ἀνέσαντες; poſterior ἐκ τοῦ (συγγράμματος) πρὸς Ζηνόδοτον i. e. *ad* ſ. potius *adverſus* Z. Tertia lectio, non mala, β. 436. ἐγγυαλίζει, Apollonio communis fuit cum Ariſtoph. et Ariſtarcho. Scholiaſtae verbum ibi, προφέρεται, omnibus locis, ni fallor, ad ſingulares libros criticos pertinet, non ad iuſtas ἐκδόσεις.

pulpitis et ſcenis et celebritatibus publicis muſea et bibliothecae, pro ingenio, propriarum opum divite, trepida et mediocribus auſis ſe committens imitatio, pro poëſis et eloquentiae concitatiſſimo ſpiritu ſobria, ſaepe frigida eruditio, in omnesque partes doctrinarum diffuſa lectio, pro inventionis ſollertia ſedulitas et cura et nitor quidam dispoſitionis poëticique ſermonis, pro artium denique omnium magnifico et nativo flore corollae ex undique decerptis floſculis collectae conſpiciebantur [59]). In his autem ſtudiis, quae nunc maxime amor antiquorum imitandorum excitabat, *ars* fuit *interpretandi et emendandi*, lentius commota antea, cui nullus veterum poëtarum largiora pabula praebebat quam Homerus. Mox eadem àrs traducta eſt ad alios poëtas, praecipue lyricos, tragicos, comicos, item ad hiſtoricos, oratores, medicos, et ut quodque genus inſigne erat praeſtantia rerum et obſcuritate verborum. Ad illum uſum latiſſimos campos ποικίλης φιλολογίας aperuerunt Grammatici, coeperuntque accuratae interpretationis ſilvam colligere ex cognitione hiſtoriae, chronologiae reliquarumque partium antiquitatis, ſimul ipſam linguae Graecae naturam et rationem ſcrutari, eamque ad leges analogiae et conſuetudinem bonorum auctorum exigere, vocabulorum varias claſſes deſcribere, τῶν πολλὰ σημαινόντων, ὁμοίων et

[59]) Erudite haec perſecutus eſt Heynius in Diſſ. de genio ſaeculi Ptolemaeorum, Opuſc. acad. Vol. I.

διαφόρων dialectorumque differentias definire, et alia de hoc genere agitare plurima, quibus multum mutatis subinde, misere truncatis, in alias atque alias formas refictis, hodie quoque in doctiori studio linguarum saepe inscii fruimur [60]).

Etenim de sexcentis eorum, qui per haec saecula illustrando, corrigendo depravandoque Homero incubuerunt, vix triginta nobis satis noti sunt. Omitto magnam turbam eorum, qui alterutram rem obiter et aliud agendo fecerunt in diversissimis scriptis, philosophos, mathematicos, astronomos, medicos, historicos, geographos, mythographos, rhetores. Innumeris horum vel ipsam nominis memoriam abstulit vetustas. Nullam enim aetatem habet historia veterum litterarum, in qua maiorem iacturam fecerimus. Quotusquisque est in his 250 scriptoribus, qui excitantur in Venetis Scholiis, quem nos accuratius norimus [61])! Hic laboriosa messis obiicitur litteratoribus, quae laborem tamen saepissime frustratur. Nam ut omnia minutissimis vestigiis indagaris et excusseris cum pulvisculo, vix obscuram quandam adumbrationem, non expressam imaginem proponere licebit eius doctrinae, quae bibliothecas Criticorum Homericorum impleverat temporibus Apionis. Sed nobis non est animus, illarum vacuos forulos ostendere singulis deperditis operibus dinumerandis, aut impensius conqueri iniquam sortem, seu quocunque illud nomine appellare placet, quod tantam stragem et ruinam fecit in rebus, quae sempiterno usui eruditorum destinatae viderentur. Huc saepe litteratos nos decet animo regredi, ut famae

60) Quam multis in rebus etiam nunc pendeamus ab Alexandrinorum iudiciis et lucubrationibus, singulatim exemplis demonstrare operae pretium fuerat. Sic omnis fere vulgata chronologia horum est Alexandrinorum, sic innumerabilia in subtilitate veterum linguarum, sic alia. Unus ille *delectus classicorum scriptorum* et in quoque genere principum, quem lib. X. Quinctilianus et quodammodo tota antiquitas sequitur, omnium saeculorum studia et librariorum manus direxit ad id, quod optimum erat in infinita copia. Absque illo delectu esset, profecto nos non haec monumenta antiquioris Graeciae, et haud scio an minus praestantia haberemus.

61) Ut Antigonus ad ψ. 319. Antodorus seu Autodorus ψ. 638. (idem f. quem sub n. 36. memorabam) Aretades ω. 110. Aristeas ν. 137. Clitopho υ. 404. Demo, mulier allegoriae studiosa, β. 205. ε. 722. Cf. Eust. p. 1154. Ero Delius et Hermo κ. 274. Hagno δ. 101. Licymnius β. 106. Nemesio κ. 397. Polycletus φ. 126. p. 468. Sextus λ. 155. Staphylus π. 175. Xeno μ. 435. alii, qui nobis deinde occurrent non quaesiti. In illo numero plura sunt nomina obscurissima, partim plane ignota, partim corrupta etiam a librariis. Sed insunt tamen, qui perantiqui videantur, unus et alter Aristarcheus, et assiduus forsan interpres Homeri. Omnino in novis Scholiis pauci reperiuntur, quibus aetatem Apione posteriorem assignet certa ratio temporum.

noſtrae conditionem diſcamus, et ex tot clarorum ſcriptorum miſerrima fortuna ſolatium quaeramus noſtris ſive cito interituris, ſeu aliquando acris cenſoris carbone notatis. Illic quanta uno in loco cadavera et buſta voluminum ante oculos iacent!

XLII.

Redeo ad viros doctos, qui adhuc vivunt in superſtitibus ſcriptoribus et Scholiaſtis. Quanquam plurimorum ex illis precaria vita eſt. Ipſe quidem Zoilus, famoſiſſimis fabulis ludibrio omnium temporum obiectus, quibus potiſſimum in rebus allatrarit Homerum, parum conſtat [62]). Ita nonnullorum, qui dicuntur uni rei ſeu vocabulo poëtae totam vitam inſumpſiſſe, ne haec quidem tam

62) Si nihil de Zoilo ſupereſſet praeter illa ad α. 129. ε. 4. 20. κ. 274. σ. 22. et Euſt. ad Odyſſ. p. 1614., inviſam ei poëſin omnem fuiſſe diceres, planeque ignoratam priſci aevi rationem ſentiendi loquendique. In quo tamen nihil admodum praeter ceteros peccavit: modo rabiem addidiſſe videtur profectam ab acerbitate et pravitate animi. Similia illis ſaepe multi noſtris temporibus adverſus Vet. Teſt. ſcripſerunt impune. Ceterum Zoilorum hiſtoria, etiam poſt Hardionem, non paucis difficultatibus impedita eſt. Sed celeberrimus eorum haud dubie *rhetor* fuit, quem tamen ubi Strabo appellat VI. p. 271. (417.) in marginem releganda puto verba, ὁ τὸν Ὅμηρον ψέγων ὡς μυθογράφον.

aerumnoſa inventa plene excerpta legimus [63]): alii adeo una prava correctione, alii una interpretatione, alii uno accentu iſtam, quam diximus, immortalitatem adepti ſunt [64]).

63) Ut Neotelis, ignoti ſcriptoris ὅλον βίον (minus bene Valck. ὅλην βίβλον) γράψαντος περὶ τῆς κατὰ τοὺς ἥρωας τοξείας, compil. ad θ. 323. 325., et Dorothei Aſcalonitae, περὶ τοῦ κλισίου (in loco Odyſſ ω. 207.) ad ι. 90. Qui poſterior certe non ante Ariſtonicum et Tryphonem, ſed diu ante Athenaeum vixit, cui laudatur tum alibi tum VII. p. 329. E. ex grandiſſimo opere, eodem, ut puto, cuius mentio fit ad κ. 252. Ita etiam Neoteles iterum occurrit ω. 118. Aliud eſt igitur, per totam vitam cogitare de aliqua re, aliud, nihil praeter hanc unam rem tractare.

64) Exemplo ſint hi, quos, quamvis aliquanto poſteriores Zenodoto plerosque, tanto lubentius hic anticipo, quia ita nobis area perpurgatur, tot obſcuris hominibus differta: Leptines ψ. 731. ἐν mutans in ἕν, quod putabat eſſe ἕτερον; Attalus, forſan is qui in Aratea commentatus eſt, cui ο. 444. ἰοδόκον debemus παροξυτόνως, aliis προπαροξυτόνως ſcribentibus: ita Euphranori ξ. 372. πανάιθησιν pro aliorum παναιθῆσιν, ut ex Euphranoris diſcipulo Apione tradit Euſtath. p. 992. Ptolemaeus Evergetes II. rex Aegypti, diſcipulus Ariſtarchi, pro ἴου Odyſſ. ε. 72., corrigens σίου; Lesbocles, f. rhetor Mitylenaeus, Il. τ. 90. leniter et ſatis leviter corrigens θεὸς δ' ἴα (h. e. μια), ibidemque Hellanicus, quem Sturzius a vetuſto hiſtorico bene diſtinxit, etiam ineptius θεόζδια; Ariſtodemus Nyſaeus ι. 453. corr. τῇ οὐ πιθόμην οὐδ' ἔρξα, etſi piae

Neque vero eos omnes, quorum auctoritates a Scholiaſtis et Euſtathio expromuntur in lectionibus et obſervationibus, perpetuam emendationem Homeri aut interpretationem (διόρθωσιν aut ἐξήγη-

coniecturae gloriola transfertur ad antiquiorem quendam Soſiphanem; Democrines Catal. 251. corr. Αἰθιόπεσσι; Antigonus ψ. 319. ob inſolentem ſtructuram corr. ἄλλος; Agathocles ξ. 398. corr. ἰξοφόροισιν; neque hominem ex Scholl. ad α. 591. σ. 239. magis admirari diſcas; Zopyrus ἐν Μιλήτου κτίσει cit. κ. 275. πελλὸν Ἀθηναίῃ, laudatus in grammatico opere ad ω. 139.; Dionyſius Scytobrachion poſt γ. 40. novum verſum inſerens; Archias ad τ. 79. uni memoratus Apollonio Lex. v. ἐβάλλειν in lectione ἑσταότως, quam ſi recte asſecurus eſt Tollius, cui equidem asſentior, mireris eam in copioſiſſimis Scholiis ſub nomine illius non laudari, eiusdemque fere rationis auctorem ibi prodi Epaphroditum, diſcipulum Archiae. At nihil tale mirandum eſt in fortuna harum reliquiarum: immo ipſe Euſtathius nonnullas illarum unus praebet. Ita vanam coni. in Odyſſ. λ. 14. Χειμερίων p. Κιμμερίων unum Etym. M. p. 513. proponit auctoritate Proteae Zeugmatitae, eiusdem haud dubie, cuius levis interpretatio exſtat ad σ. 410. Eodem modo ſemel ab Apollonio illo laudatur ſeu potius notatur Demetrius ὁ Πύκτης, λ. 493. verbum ὀπαζόμενος interpr. πληρούμενος. Sed in ſemel nominatis interpretibus nullus magis ridiculus eſt quam Agallias Ariſtophaneus, cui coniectando an ſomniando in mentem venerat, duas urbes a Vulcano in Scuto factas σ. 490. Athenas et Eleuſinem eſſe.

σιν) profeſſos eſſe, iam alii recte monuerunt; idque et res ipſa et modus, quo laudantur, ſaepe non obſcure arguit. Multi enim ſingulares partes utriusque muneris tractandas ſibi ſumpſerunt ſingularibus ſcriptis, in quibus vel latentes ſententiarum ſcrupulos tollerent, e quo numero erant ἐνστατικοὶ et λυτικοί[65]), vel mores heroicorum tem-

65) Vide Wower. de Polymath. c. 10. Ionſ. de S. H. P. II. p. 247. Valcken. de Scholl. in Hom. ineditis p. 145. etc. Iam ſupra attuli locum Porphyrianum, e quo apparet, hanc omnem rem apud Alexandrinos a disputationibus et colloquiis virorum doctorum profectam eſſe. Illa mox una cum ſolutionibus referri ſolebant in litteras, faciebantque quaſi quosdam Commentarios ſodalicii, inſpiciendos forſan Ptolemaeis, cum concoquerent. Atque de his commentariis (*Dubia vexata Homeri* dicas biblico vocabulo) nunc plura nobis innotuerunt ex novis Scholiis, ſed pauciſſima Zenodoti Epheſii, ut ad α. 21. β. 12., (niſi hic eſt minor Zenodotus, cui Suidas Λύσεις Ὁμηρικῶν ἀπορημάτων tribuit,) longe plurima tamen ſine nominibus auctorum. In his igitur leguntur fortaſſe nonnulla ex operibus trium Peripateticorum, Heraclidis Pontici, Chamaeleontis, Megaclidis, et aliorum. Et Chamaeleon quidem ter laud. ad μ. 231. ψ. 94. 454. ex libro περὶ Ἰλιάδος, ut ſuſpicor; Megaclides quater ex libro περὶ Ὁμήρου, ad κ. 274. π. 140. χ. 36. 205. In celeberrimis autem λυτικοῖς fuit ſub Ptolemaeo Philadelpho Soſibius Laco, de quo lepidam fabulam narrat Athen. XI. p. 493. F., unde ſemel memoratur Euſtathio, ſed nusquam in Scholiis. Docet illa fabula, quam

porum, vel consuetudinem Homerici sermonis in universum [66]), vel rariora et ab usu abhorrentia vocabula et locutiones explicarent [67]).

curiosus illarum rerum fuerit Philadelphus. Notissimum est simile studium Tiberii e Suet. c. 70.

[66]) De moribus quidem perpauca scripta commemorantur, nisi eo referre velis τὰ περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον τακτικῆς ap. Aelian. Prooem. Tact. vel τὰ περὶ οἰωνιστικῆς τῆς κ. Ὅ. in Scholl. ad β. 305. quorum auctorem, puto, unum novimus ex Suida, Polletem, aliaque similia a philosophis et rhetoribus commentata. De altero genere, orationis Homericae proprietatibus, paullo celebriores sunt libri, ut Ptolemaei Pindarionis, περὶ τοῦ Ὁμηρικοῦ χαρακτῆρος, Aristonici, περὶ τῶν τῆς Ἰλ. καὶ Ὀδ. ἀσυντάκτων ὀνομάτων libb. VI. de quibus v. Suid. T. I. p. 326. III. p. 224. tum Basilidae, περὶ Ὁμηρικῆς λέξεως ap. Etym. M. p. 142. et Zenodori in primis, περὶ τῆς Ὁμήρου συνηθείας libb. X. laud. in Scholl. ad σ. 356. 22. ρ. 263. Apollon. Lex. v. ζῶστρα. His enim locis plus tribuo quam Suidae, librum hoc titulo ad Zenodotum minorem referenti. Alios eiusdem argumenti libros, neque tamen omnino satis certi, sub auctoribus suis notabo.

[67]) Γλώσσας s. λέξεις. Inde paullatim Glossaria et Lexica facta esse apparet, etiam, quod temere dubitant nonnulli, ipsa hac aetate Alexandrina. Sed primum, ut videtur, res instituí coepta est ad seriem quandam rerum, sicut est in Onomastico Pollucis. Cuiusmodi antiquissimum specimen Strato (al. Strattis) ap. Athen. IX. p. 382. sqq. commemorat Philetae, poëtae illius, ut docti putant,

Sed plerosque horum librorum situs dudum et tineae occupaverant, quum Scholiastae nostri commentarios suos conscribebant. Quin etiam principum Criticorum, *Zenodoti*, *Aristophanis*, *Aristarchi*, *Cratetis*, recensiones et interpretationes iam tum non erant in doctorum manibus integrae. Tametsi per illa saecula totumque medium, quod vocant, aevum in aliqua bibliotheca liber potuit incorruptus latere, quem vulgo in deperditis numerabant, vel in frustula dissectum legebant [68]). Nimirum sub Augusto et proxima aetate, quae cito litteras Alexandrinas ad tenuitatem compen-

Ἄτακτα sive Γλώσσας, quo posteriore titulo afferuntur ad Apollon. Rh. IV, 989. Etym. M. p. 330. Cf. Valcken. ap. Koppiersii Obss. philol. p. 36. Fuerunt in illis glossis, μέροπες, οὐλοχύται, μῆλα aliaque, etiam δαιτυμών, in quo laborabamus p. CXXXII. Qui Philetam secuti sunt in hoc genere, indocti plerique et inepti, notantur saepius in Scholiis. Verum ad hos redeundi infra erit locus.

[68]) Videlicet in antiquitate versanti cogitandum semper est, illam caruisse iis subsidiis notitiae litterariae, quae nobis haec bonarum artium publica lux et mercatura parat. Eustathio, Παρεκβολὰς suas scripturo, videri potuerunt optima quaeque et antiquissima Scholia in promptu esse, dum antiquiora et meliora cod. Veneti latebant forsan in vicinia eius. Indagare igitur licet, quo saeculo liber aliquis veterum desierit in manibus vulgi esse, non, quo esse desierit; et ut quisque scriptor vetustior est, eo facilius ei id, quod de Eustathio dicebam, accidisse

diorum redigere coeperat, lectiones et emendationes illorum aliorumque vario conſilio excerptae a multis per Lexica et Commentarios et Scholia diſpergebantur. Atque utinam ullum ex iſtis libris, utinam duntaxat unum Apollonii Lexicon integrum haberemus! Nam qui poſtea ad compilandum venerunt minuti Grammatici, ſaepe dedita opera neglexerunt, quidquid reconditioris doctrinae eſſet, ſive a vulgato textu ſui temporis alienum. Itaque accidit tandem, ut ne de primariis quidem Criticis illis, a quorum auctoritate primum hic textus noſter manavit, tantum nobis ſuperſit, quantum ad cognoſcenda eorum ingenia et emendandi artem ſufficiat. Hoc autem eſt illud, in quo nunc maxime elaborare cupiam, ceteris opportuniori loco reſervatis, quae ad accuratam notitiam Homericorum interpretum pertineant.

Sed etſi mihi eruditorum venia opus eſt, eam tentaturo rem, in qua callidiſſimum coniectorem ſaepiſſime deſtituat ſervata fractis lacerisque tabulis materia, haud ingratum tamen fore arbitror, ſi, quae paſſim diſſipata feruntur, adhibito quodam de graviſſimis rebus iudicio ad brevem conſpectum revocare potuero. Ita etiam creſcent quodammodo copiae, quae nec ipſae per ſe contemnendae ſunt. Gauderent, puto, magiſtri Orientales, ſi

putandum eſt. Levis in ſpeciem res eſt, ſed cuius olim magna vis fuit ad ipſam rationem tractandarum litterarum.

tribus locis certo conſtaret, quid Gamaliel aut alius ſuperioris aetatis doctor Iudaeus in Moſe et Prophetis legerit: nos in Homero quid Zenodotus legerit, 400 fere locis, quid Ariſtophanes, fere 200, quid Ariſtarchus, plus millies ſcimus.

XLIII.

Antiquiſſimi illorum, Zenodoti Epheſii, quem epicum poëtam et primum διορθωτὴν Homeri fuiſſe Suidas refert [69]), fama ſemper fuit perquam

[69]) T. II. p. 8. Ibi quomodo accipiendum ſit, quod *primus* dicitur, nemo quaerat poſt Küſterum et Fabricium p. 362. Quoniam autem, eodem Suida auctore, alius Zenodotus fuit Alexandrinus, Ariſtarcho ſuppar et adverſarius, neceſſarium eſt, huius quae ſint, quae illius, diſtinguere. Addunt praeterea Scholia in Arat. Phaen. 33. et Euſtath. p. 957. 1006. tertium eius nominis, Malloten, eundem fortaſſe, qui Κρατήτειος vocatur in Scholl. ad ψ. 79. Sed ut dicam quod ſentio, ne hunc quidem ab altero illo diverſum habuerim, ut ab aliis a patria Mallotes, ab aliis ex more aetatis illius Alexandrinus a domicilio dictus ſit, fueritque in iis Cratetis diſcipulis, qui magiſtri ſui contentionem cum Ariſtarcho, ut ſit, ſuam facerent. Iam quum in Ven. Scholiis tot locis, excepto uno iſto, ſemper Zenodotus appelletur ſimpliciter, compoſitus etiam vel praepoſitus Ariſtophani et Ariſtarcho, omniaque illi tributa ad eandem rationem et formam ingenii referantur, plane non dubito, ubique fere apud Intpp. Homeri *Epheſium Criticum* intelligendum, et ſi qua

ambigua. Nam alii ab ingenio eius primum meliorem cultum horum Carminum repetunt [70]; alii, in his infimae aetatis Scholiaſtae, illum levitatis et ſtudii ineptiarum acriter accuſant. Ac ſane plurimae lectiones eius tam ſunt improbabiles, et a tanta temeritate iudicii profectae, ut ita emendare vel tironem hodie pudeat [71]; ἀθετήσεων autem

alterius Mallotae ſuperſunt in iis, quae paſſim adverſus Ariſtarchum monentur, ea ſine nomine ad nos perlata eſſe. Equidem ſex ſeptem locis Scholiorum aliquando in dubitationem me adductum memini; verum diligentius explorata res primum adſpectum confirmavit. Eodemque nos alii ſcriptores ducunt, Strabo, Athenaeus, Apollonius Alex. etc.

[70]) Celebres in hanc ſententiam verſus ſunt Auſonii in Ludo VII Sapientum,

Maeonio qualem cultum quaeſivit Homero
Cenſor *Ariſtarchus* normaque *Zenodoti*,

Neque alium ab eodem poëta ſignificari puto Epiſt. XVIII, 28. ubi praeter Varronem et alios Latinos in numero Criticorum ponuntur Crates, Ariſtarchus,

Quique ſacri lacerum collegit corpus Homeri.

Piſiſtrato hic locus non eſt, multo minus Cynaetho, ut nuper vir doctus putabat.

[71]) Speciminis loco hic paucas quasdam ex immenſo numero ſubiiciam lectiones, easque non eo conſilio excerptas, ut peſſima pars Zenodotei textus cognoſcatur. A. 68. dedit ἐκαθέζετο, ubi Schol. Οὐκ ἐᾷ Z. ἑλληνίζειν τὸν Ὅμηρον. 80. κρείσσω, quam formam etiam in ſimilibus tenuit, ut 249. γλυκίω. 351. χεῖρας ἀναπτάς. γ. 56. Τρῶες ἐλεήμονες. (v. ad 453. et η. 390.) 273. Ἀρνῶν ἐκ κεφαλαίων ap. Etym. M. p. 507. ε. 53. χραῖσμεν θανάτοιο πέλωρα. ζ. 112. Ἀνέρες ἔστε θοοὶ, καὶ ἀμύνετον ἄστεϊ λώβην. θ. 128. Ἐρασιπτόλεμον, relicto tamen 312. Ἀρχεπτόλεμον. 501. ἐπεὶ Διὸς ἐτράπετο φρήν ex κ. 45. ubi v. Scholl. 558. Μυρία δ' ἐν πεδίῳ. ι. 637. Ἀθρόοι ἐκ Δαναῶν. κ. 306. Αὐτοὺς οἳ φορέουσιν ἀμύμονα Πηλείωνα. λ. 27. Ἐρίδεσσιν. μ. 34. ὡς ἤμελλεν. Ἐστὶ δὲ βάρβαρον, addit Schol. 75. ἄγε τὼς ἄν. 153. λάεσσιν. 444. ἐπεὶ θεοῦ ἔκλυον αὐδήν. ξ. 177. καλοὺς καὶ μεγάλους. ο. 134. Αὐτὰρ τοῖς ἄλλοισι Θέτις μέγα πῆμα φυτεῦσαι. 439. τέκεσσι. 716. οὐκ ἐμεθίει. π. 202. μητιάασθε. 697. ἔλες. ρ. 51. Χαρίτεσσι μέλαιναι. 153. κύον ἔτλης. 582. Ἕκτορα δὲ φρένα δῖος Ἄρης ὤτρυνε μετελθών. σ. 385. 424. ἡμετερόνδε. Lectiones voco haec, non correctiones. Quis enim haec omnia a Z. primo in textum illata eſſe crediderit?

tanta eſt multitudo ac licentia, ut nonnullis viſus ſit Homerum prope ex Homero tollere. Quippe ſaepe praeclariſſimos et optimos verſus expungit, interdum totas ῥήσεις contaminat, alia contrahit, alia addit, omnemque ſibi in Iliada, velut in proprium opus, arrogat poteſtatem [72]. Quodſi ita

[72]) Statim hic indicem dabo utriusque generis verſuum, primum eorum, quibus ut ſuſpectis notam ſuſpicionis ſuae appoſuerat, (v. ſupra p. CXLVIII.) tum eorum, quos omnino non poſuerat in textu. De utroque ſatis diſtincte traditur in Scholiis, de priore verbis, ἀθετεῖν, περιγράφειν, περιαιρεῖν; de poſteriore modo eſt, Ζηνόδοτος τούτους οὐκ ἔγραφεν, οὐδ' ὅλως ἔγραφεν, modo, οὗτοι οὐκ ἐφέροντο παρὰ Z. Prioris generis ſunt: A. 4. 5. 46. 47. 63. 80. 117. 143. 159. 160. 208. 209. 225 — 233. incluſ. 396 —

primus facere aufus eft, procaciffimum hominis ingenium mirere; fin aliorum exemplo fecit, etiam

406. $\overline{488}$ — 492. β. 220 — 223. 227. 228. $\overline{231}$ — 234. Catal. $\overline{35}$. (vulg. 528. cf. Euft. p. 276.) $\overline{60}$ — 62. $\overline{86}$. 87. $\overline{119}$ — 121. (vulg. 612 — 614.) $\overline{148}$. 149. $\overline{180}$ — 182. $\overline{193}$ — 201. (vulg. 686 — 694.) 231. 232. γ. 18. ε. 187. 249. 250. $\overline{906}$. η. $\overline{195}$ — 199. 255 — 257. $\overline{443}$ — 464. $\overline{475}$. ap. Euft. p. 692. — $\overline{482}$. ϑ. 1. (quem verfum mox inter 52. et 53. ponebat) $\overline{493}$ — 496. ι. $\overline{688}$. (692.) λ. $\overline{547}$ — 556. (ὥς — ἤιε) $\overline{793}$. 794. ξ. $\overline{114}$. $\overline{304}$ — 306. π. 93 — 96. 140. $\overline{432}$ — 458. $\overline{668}$. cum fqq., feu totum locum aliter διεσκεύαζε. ρ. $\overline{260}$. 261. σ. $\overline{39}$ — 49. φ. 538. 539.

Ii verfus, qui a Zenodoto penitus fublati dicuntur, hi funt: A. $\overline{490}$. β. Catal. $\overline{181}$. ϑ. 284. 371. 372. 385 — 387. (cf. ad ε. 734. 735.) $\overline{528}$. $\overline{532}$ — 534. $\overline{553}$. 554. ι. 23 — 25. $\overline{416}$. 684. (688.) cum aliquot feqq. ut $\overline{690}$. (694.) κ. $\overline{240}$. $\overline{253}$. $\overline{498}$. λ. 13. 14. $\overline{78}$ — 83. 179. 180. (cf. π. 379. 699. nam nulli funt alii verfus, quos Schol. illo loco refpicere potuerit) 356. $\overline{515}$. $\overline{704}$. (705.) μ. $\overline{175}$ — 180. $\overline{450}$. ο. $\overline{18}$. cum tota κολάσει Iunonis. $\overline{33}$. $\overline{64}$ — 77. π. 141 — 144. (v. ad τ. 387.) ρ. $\overline{134}$ — 136. τ. $\overline{77}$. φ. $\overline{195}$. ω. 269. Lineolae numeris impofitae hic quoque aliquid infigne, aliquid in malam bonamve partem notabile indicant. Infunt enim in utroque genere etiam bona quaedam, maxime in pofteriore, probata partim Ariftarcho, nunc a me uncis notata: in aliis autem multis verfibus vix coniectura asfequare, quid reprehendendum fenferit.

Sed ineptiffime verfatur paffim in transponendo, et in lacunis, quas temere facit, fuo ingenio ex-

hinc apparet, quanta libidine et vi in vetuftis monumentis graffata fit critica incipiens. At minime credibile eft, ea omnia excogitaffe Zenodotum, quae ad eius auctoritatem referuntur, atque adeo Zenodoteas fcripturas, magnam certe partem, non alias effe, quam antiquiorum plerorumque librorum. Idque quum et coniectura probabile fit,

plendis. Ut reprobato verfu γ. 335. reliquos fic collocavit, ut continuo poft 333. poneret 336. 337. 338. tum 334. extremis verbis fic mutatum, βάλετ' ἀσπίδα θυσσανόεσσαν. Mox verfibus 422. et 427. hunc interponebat,

Αὐτὴ δ' ἀντίον ἶζεν Ἀλεξάνδροιο ἄνακτος,

fublatis quatuor illis 423 — 426. Sic κ. 522. praeponebat antecedentibus duobus, ubi Schol. bene, Πρῶτα δὲ ἰδόντα ἔδει κλαίειν. Alibi contractiones verfuum afferuntur in primis ridiculae. Ita egregios illos α. 219. 220. contrahebat in hunc unum:

Ὣς εἰπὼν πάλιν ὦσε μέγα ξίφος, οὐδ' ἀπίθησε.

Eodemque in libro pro 446. 447. hunc habebat:

Ὣς εἶπεν· τοὶ δ' ὦκα θεῷ ἱερὴν ἑκατόμβην.

B. 60. fqq. tertia repetitio eorundem verfuum ei adeo difplicebat, ut pro 65 — 70. hos duos daret,

Ἠνώγει σε πατὴρ ὑψίζυγος, αἰθέρι ναίων,
Τρωσὶ μαχήσασθαι προτὶ Ἴλιον. Ὣς ὁ μὲν εἰπών.

Cf. Euft. p. 173. Similiter ineptiebat in π. 89. fqq. et aliis locis. At in pluribus horum, maxime ibi, ubi aliquid plane omifit, cuivis nafcatur fufpicio, partem culpae in mala fide antiquorum exemplarium, non in Zenodoti ingenio folo, quaerendam effe.

et aliquot idoneis argumentis intelligatur [73]), circumſpecte nobis iudicandum erit de principe Cri-

[71]) Trinum omne perfectum, aiunt. B. 196. pluralem affert Ariſtot. Rhet. II, 2, 7. Διοτρεφέων βασιλήων. Ubi numerus ſententiae cauſa a philoſopho poterat mutatus videri. Sed ecce! eandem ſcripturam nunc ex Scholiis diſcimus Zenodoti fuiſſe. Magis notabile hoc eſt, quod idem duobus aut pluribus vſſ., certe β. 144. ξ. 499., vocabulum abſurdum et nobis plane ignotum dediſſe traditur, φή pro ὡς. Φὴ κύματα μακρὰ θαλάσσης, Ὁ δὲ φὴ κώδειαν ἀνασχών. Sed iſtius monſtri uſus ex τοῖς μετ' Ὅμηρον, nominatim Antimacho et Callimacho, demonſtratur in Scholiis. Num id ergo Zenodoteae monetae putabimus? Ita de vſſ. ab eo reiectis ſemel notatur, ϱ. 134. et proximos duos etiam a Chiorum exemplo abfuiſſe. Addere his multa, facillimum eſt. A. 216. σφωΐτερον in ſecunda perſona ſingularis numeri adhibuit Z. Infra videbimus, id et aliis poëtis Alexandrinis placuiſſe, quos nemo dixerit ab uno Z. deceptos. Ξ. 442. Ὀϊλῆα male mutavit, inquiunt, in Ἰλῆα. Statim et huius formae antiquum uſum demonſtrabimus. B. 484. dedit Μοῦσαι βαθύκολποι. Rident epitheton, ab Homero Barbaris modo dari ſolitum. At auctoritatem lectioni conciliat Pindarus Pyth. I, 23., quum veterum exemplarium fidem ignoremus. De hac autem quaerendum fuerat veteribus, priusquam Zenodoti inſignem audaciam et ignorantiam riderent.

Ἡμεῖς γὰρ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν.

Nihil ſcimus, niſi quid in illius recenſione lectum fuerit olim; de iudicio viri parum conſtat; ſed ipſa

ticorum, ne ipſi imputemus vitia, quae ei forſitan communia fuerint cum doctiſſimo quoque illorum temporum.

Nam de iis vitiis et erroribus, quibus omnem et Homericae et Graecae orationis veram rationem pervertere videtur, aliter in ſaeculo grammaticis praeceptis abundante, aliter in illo ſtatuere convenit. Ante enim quam lingua ad ſubtilitatem praeceptorum curioſius revocari coepta erat, etiam ingenioſo labi licuit et inconſtanti eſſe in hoc genere, quod ingenio minus quam arte regitur. Ipſa vero ars quam exiguis in rebus titubet curſum ingrediens, quamque ei pronum ſit, dum inter conſuetudinem ſcriptorum et legitimam rationem diiudicare ſtudet, ab utraque norma imprudenter aberrare, nemini intelligenti obſcurum eſſe poteſt. Itaque fuerunt interdum eruditi, qui Varronem, et ſi qui huius aequales de cauſis ſermonis Latini anquirunt, contemptim invitarent ad ſcholas ſuas, ut quae olim fruſtra quaeſiviſſent, facillime et accuratiſſime diſcerent. In primisque ſaepe periti linguae Hebraicae, cuius tamen quantillam partem complectantur, viderint ipſi, deridere ſolent Philonem Iudaeum, Origenem, Hieronymum, utpote quorum cognitio florentis adhuc linguae lon-

res arguit, plurima vitia eum ex antiquioribus fontibus traxiſſe, quae vel doctiſſimis poëtis, quales Antimachus et Callimachus fuerunt, imponerent.

ge remota erat ab ea ſubtilitate, quam profeſſio Grammatici exigeret [74]).

Atque ad hanc aetatem Graecae linguae retorquendus eſt animus noſter, ut de primis artis auctoribus recte et cum aequitate iudicemus. Ipſae quidem Zenodoti ſcripturae diligenter excuſſae manifeſto oſtendunt, multas obſervationes et regulas ſermonis tempore illius nondum conſtitiſſe, quas nunc docti indoctique vulgo ſequimur. Ut de dualibus non ponendis vice pluralium [75]), de Homerico uſu articuli [76]), de poteſtatibus plurium

[74]) Cui ignotus eſt Scioppius, *cloacinam Grammaticam* Romanorum ubique crepans? Nec levius Ioſ. Scaliger queſtus et alii de ineruditis olim ſtudiis linguae Hebraicae. Contra quos breviter ſed accommodate ad hunc locum noſtrum diſputat Erneſt. Opuſc. philol. p. 296. ſqq.

[75]) Vide ad γ. 279. 459. ubi Z. ſcribebat ἀποτίνετον. (Cod. ἀποτίνετε. Sed ſatius eſt menda Scholiorum tacite corrigere.) ζ. 112. λ. 348. ν. 627. ο. 347. σ. 287. ψ. 753. add. ω. 282. ubi in ſocietatem huius erroris adducuntur Crates et Eratoſthenes, θέλοντες συγχεῖσθαι τὰ δυικὰ παρ' Ὁμήρῳ. Ac plures a nobis addi poſſent poëtae Alexandrinae et poſteriorum aetatum, qui illam confuſionem, quam et ipſi imitabantur, in Homero fortaſſe ad exquiſitum ſermonem ſive ad licentiam aevi ἀοιδῶν retulerunt.

[76]) Accurata noſtra praeceptio de hac re, ſicut alia huiusmodi plurima, Ariſtarchi eſt, qui docuit, Homerum συνήθως ἐλλείπειν τοῖς ἄρθροις. V. Apollon. Alex. de Synt. I. p. 84. Plutarch. Plat. Quaeſt. p.

vocabulorum, de diſcriminibus dialectorum, de conſtructionibus poëticis et multis aliis rebus eiusdem generis [77]). Huc adde honeſtiſſimam cau-

1010. D. et paſſim Scholl. Zenodoto igitur, apud poëtam uſum ſui ſaeculi quaerenti, multas lectiones mutandas videri neceſſe fuit. Ita illi Ὀϊλεὺς facile fiebat ὁ Ἰλεύς: v. ad Catal. 34. μ. 365. ν. 203. 694. 712. ο. 333. ψ. 759. Etym. M. p. 346. Euſt. p. 101. etc.: quum eum unus locus λ. 93. ad verum ducere debuiſſet. Verum huius quoque formae, ne eam in criticis nugis annumeres, auctores laudantur Heſiodus et Steſichorus. Ob eandem neceſſitatem articuli Zenodoto ſcribendum videbatur ὦλλοι, ubi ἄλλοι eſt οἱ ἄλλοι, *ceteri*. V. laudd. in Reiz. de proſod. Gr. accentus inclinat. p. 75. cum Etym. M. p. 821. Scholl. ad β. 1. et κ. 1. Quo poſteriore loco ſic narrantur et alii ſcripſiſſe, uti nunc ſatis conſtanter facit Apollonius Brunckianus. Aeque facile articulus addi aut demi potuit aliis vocabulis multis. Saltem verſus non reclamat, ſive ſcribas στῆ δ' ὁ γέρων, ἀνὰ δ' ὁ πτολίπορθος Ὀδυσσεύς, ſive δὲ γέρων, δὲ πτολίπορθος Ὀ. Il. β. 278.

[77]) His apponamus quaedam per ſaturam, ob quae Z. ſaepe vituperatur et *dipla* notatur in Scholl. Λ. 729. confudiſſe dicitur δόρπον et δεῖπνον, ν. 610. μάχαιραν et ξίφος, σ. 247. τ. 14. φέβον et δέος. Α. 56. 198. ſcribebat ὁρῆτο pro ὁρᾶτο, 530. κρητός p. κρατός, in quibus propter confuſas dialectus reprehenditur. Γ. 459. notatur, quod infinitivum poteſtate imperandi ignorarit; ξ. 162. quod ἑαυτὴν pro uno vocabulo habuerit; (ἀγνοεῖν τὴν διαφορὰν αὐτόν φησιν Ἀρίσταρχος: cf. Reiz. ad Theog. Heſ. 470.) κ. 393. ο. 138. τ. 342. ω. 528. 550. quod dederit

ſam alucinandi, quum Grammaticus provinciam ſuam egreſſus conſtantiam uſus inflecteret ad ſpe-

ἐρῖο p. ἐῆος; β. 302. γ. 280. ξ. 274. quod μαρτύρους
in μάρτυρας mutarit, de certo exemplo Odyſſ. π. 423.
ſecurus; γ. 244. λ. 142. quod neglexerit veram vim
pronominum σφός et ἑός, quae quidem poſt ipſum
unice legitima ponebatur; ξ. 469. quod verbo γεγώ-
νειν addiderit caſum quartum: in quo certe non po-
tuit conſtans eſſe, quum illa, Δαναοῖσι γεγωνώς, Τρώ-
εσσι γεγωνώς et ſimilia plura talem mutationem re-
ſpuerent: γ. 71. 92. κ. 114. quod ἀμείνων, γλυκίων
et alia huius formae ſcripſerit ſine ultima littera,
ἀμείνω, γλυκίω: quo ſane nihil abſurdius eſt et ana-
logiae magis repugnans: β. 36. quod verba ſingula-
ris numeri ubique cum nominibus neutris pluralis
iunxerit, ex vulgari conſuetudine, quam in aliis
quoque rebus perperam ſecutus videtur. Ut in ana-
coluthis expellendis, qualis peſſima eius emenda-
tio eſt ζ. 511. ἔιμφ' ἐὰ γοῦνα φέρει, de qua cf. ad
ο. 405. ρ. 700. σ. 148.; ut in membris orationis ad
proſaicam συνάφειαν vinciendis per participia, tan-
quam β. 187. Σὺν τῷ βάς, ξ. 169. ἐπιθεῖσα, ubi be-
ne monet Schol. Idem notatur, quod neſcierit Ho-
merum παραλλήλως τάττειν τὰς ἰσοδυναμούσας λέξεις;
π. 666. φ. 17. et alibi, quod figuram κατὰ τὸ
σιωπώμενον non cuſtodierit, notam etiam e Lat. Scho-
liaſtis etc. Nam ſatis illa docent, quam multa de-
beamus Grammaticis, Zenodoto poſterioribus, qui
haec omnia, quae ad grammaticam ἀκρίβειαν et bo-
nam interpretationem ſpectant, ad rectiora praecepta
revocarunt. Ac nonnulla illorum profecto permira
ſunt in Critico, praeſertim eo, qui ipſe verſus pan-

ciem quandam analogiae, et in ipſum dominum linguae affectaret imperium [78]. Adde denique, id quod identidem computandum eſt, ſi forte exemplaria, quibus utebatur, mendis inquinata erant et vitiis, qualia nonnulla paullo ante cognovimus [79].

geret, maxime ἄμετρα quaedam, ut Catal. 27. 165. ζ. 34. ν. 172., qualia tamen non ſunt in tribus Epigrammatis, quae ſub eius nomine exſtant in Brunckii Analectis, T. II. p. 61.

[78]) Ex hoc fonte manaſſe videntur errores plures ex ſuperioribus, et hi maxime, in declinandis pronominibus commiſſi a Z. Quos quum notant Scholiaſtae, inſolentia rei facit, ut hos ipſos primum legens monſtra fingere putet. Nam β. 239. τ. 384. tradunt illum dediſſe ἑοῦ pro genitivo primitivi pronominis ἕο, θ. 377. χ. 216. νῶϊν pro accuſativo νῶϊ, α. 336. σφῶϊν pro accuſ. σφῶϊ, μ. 366. σφῶε pro nominativo ſecundae perſonae σφῶϊ, item in tertia perſona α. 8. κ. 546. σφῶϊ pro σφῶε, quod poſtremum, ut valdius mirere, a Seleuco probatum ac refutatione dignum habitum eſt ab Apollon. Alex. de Synt. II. p. 167. Ex eodemque diſcimus, id quod varietati in ω. 486. Odyſſ. τ. 358 et alibi, tum Ammonio v. ἐμεῖο et σοῖο explicando prodeſt, Zenodotum poſſeſſiva ἐμοῖο et σοῖο mutaſſe in primitiva ἐμεῖο et σεῖο. Vide Apollon. l. c. p. 165. ubi quod dicit τὰς γραφὰς εἰς Z. ἀναφέρεσθαι, plane docet, ſcripturas Zenodoteas iam Antoninorum aevo doctiſſimis hominibus non niſi ex aliorum excerptis cognitas fuiſſe.

[79]) Pag. CLXVIII. ſqq. In primis huc refer menda antiquiſſimae ſcripturae, continentis et imperfectae

Numne igitur absurdorum omnium, quae Zenodotea dicuntur, unus nobis Zenodotus reus agendus erit?

At interpolavit ipse quaedam, mutavitque poëtam ad libidinem suam et priscae orationis morumque heroicorum inscientiam. Id utique accusant Scholiastae; nec quisquam dubitet: etsi nusquam satis distinguunt, quid ipse de suo invexerit, quid olim vulgatum invenerit [80]). Contra iidem

notis litterarum, tum oscitationes librariorum in codd. εἰς πρᾶσιν γεγραμμένοις, quos Strabo dicit noto loco XIII. p. 609. (907.) Posteriori generi adscribenda sunt haud dubie multa, quae ex aliis libris in alios olim translata, nunc honorem *variarum lectionum* obtinent. Prioris sunt permutationes longarum et brevium vocalium, de quibus v. ad λ. 104. ξ. 45. σ. 198. φ. 127. χ. 236. ubi v. Valcken. et varietates huiusmodi, μ' εἰρόμενος, μειρόμενος, η. 127. cf. ad ι. 612. — ἐξελόμην, ἐξ ἑλόμην, ι. 130. — ἐξήλατον, ἐξήλατον, μ. 295. etc.

80) Nonnunquam illi quidem ita loquuntur, ut ipsum Z. lectionum suarum auctorem seu emendatorem facere videantur; nonnunquam etiam perinde, quasi exemplar eius in manibus habuerint. Ut quum ad ι. 131. narrant, duos versus τ. 245. sq. eum sic male correctos exhibere,

Ἐκ δ' ἄγον ἑπτὰ γυναῖκας, ἀμύμονα ἔργ' εἰδυίας,
ἕξ, ἀτὰρ ἑβδομάτην Βρισηΐδα καλλιπάρηον,

dicunt ibi, et paucis aliis locis, γράφει Ζηνόδοτος, instanti tempore, cuius legitimus usus est in libris, qui vulgo in manibus sunt. Sic est Ζηνό-

quaedam etiam praeclara eius afferunt, partim Aristarcho et reliquis antiquis auctoribus nostri textus probata, partim fortasse, me suffragante, probanda in posterum [81]). Neque enim nihil est in illis,

δοτος (cod. σύνοδος) ὑποτάσσει, ex. gr. ad ν. 808. cui versui hunc addidit,

Λίην γάρ σφιν πᾶσιν ἐκέκριτο θάρσεϊ πολλῷ,

ut versui ξ. 136. hunc, aeque ineptum,

Ἀντιθέῳ Φοίνικι, ὀπάονι Πηλείωνος.

vel πεποίηκε Z., ut χ. 378. quem sic legit,

Ἀτρείδη τε καὶ ἄλλοι ἀριστῆες Παναχαιῶν.

vel τέταχεν, ut δ. 123. cui eum, qui ordine proximus est, praeposuit, ut ξ. 394. quem cum sequente post 399. collocavit: vel denique μετέγραφεν, út Catal. 188. (681.) cuius loco si Zenodoteum legeremus, per se minime malum,

Οἱ δ' Ἄργος εἶχον τὸ Πελασγικόν, οὖθαρ ἀρούρης,

periisset nobis *peculiare artificium* Clarkii et Dominae Daceriae. — Sed quis fidem habeat istis vocabulis, qui saepe alibi viderit hos Scholiastas Zenodotea haud dissimulanter tradere ex auditione et fama et coniectura, non ex inspectis libris veteribus?

81) Vide ad α. 169. β. 258. 448. γ. 57. 126. 259. θ. 304. μ. 295. ξ. 285. 322. 400. π. 188. ψ. 307. etc. Aliquoties eius ratio etiam Scholiastis laudatur, ut η. 428. ξ. 229. σ. 198. 499. etc. etsi temere interdum. Quam saepe Aristophanes Byz., tum in lectionibus, tum in ἀθετήσεσι, cum Z. consenserit, paullo mox videbimus. Ex iis autem lectionibus Z., quas nunc tandem in textum revocavi, quaerendi labore fessus harum tantum quatuor memini, α. 260. ε. 227. μ. 428. ν. 423. conf. cum θ. 334. ubi

qu d ex auctoritate bonorum librorum fluxiffe videatur [82]), ut potius reprehendendus fit, quisquis

tacent magiftelli, quibus Z. tam ridiculus eft ad priorem verfum.

[82]) Talia funt fortaffe haec, aut, fi ex prifcis διττογραφίαις delecta funt, certe haud pravi iudicii fpecimina iudicabuntur: A. 34. ἀχέων p. vulg. ἀκέων — 47. νυκτι ἐλυσθεὶς p. vulg. νυκτὶ ἐοικώς (cf. ad μ. 463.) — γ. 152. δένδρει p. δενδρέῳ — δ. 339. φαίδιμ' Ὀδυσσεῦ, quod qui improbant, immemores erant verfus α. 122., aut ibi vim voc. κύδιστε pervertebant. — ε. 898. ἐνέρτατος — θ. 166. πότμον ἐφήσω p. inufitata formula, δαίμονα δώσω — ι. 158. καμφθήτω — 656. ἐγκονέουσαι — 660. (664.) Τῷ δὲ γυνὴ παρέλεκτο Κάειρ', ἣν Λ. ἦγε, ubi Scholiaftas fugiebat hiftoria captae Chryfeïdis α. 366. — λ. 840. σεῖ' ἀμελήσω — ν. 107. ἑκὰς πόλιος — ξ. 40. ἑταίρων — π. 156. πάντῃ p. πάντας — σ. 565. ἐς αὐτήν — υ. 138. ἄρχησι. — Iam fac, ea ad Zenodotum auctorem referri, quae illorum loco fubftituta funt, nonne ftatim, ingrato nomine pofito, omnem, quam nunc habent, gratiam perdiderint? Ac plura tamen vulgata non antiquiora videntur iis Grammaticis, qui Homericae orationis formam elegantioribus legibus adftrinxerunt, et, quidquid his contrarium effet, fedulo oblitterarunt. Nonnihil tamen forte cafuque in his quoque rebus relictum eft, quod, fubtractis pluribus exemplis eiusdem formae, perantiquam fraudem proderet, quum id mirarentur poftea Critici, et varie vexarent. Ut illud Ἴλιον αἰπύ ο. 71. cuius caufa centies dipla pofita eft in Scholiis, ut *unicum* fcilicet *exemplum* neutrius generis in illo nomine locum fufpectiorem faceret. Sed

id fuis coniecturis quantumvis venuftis poftpofuit, quam qui veteres fcripturas repetiit, temerarius coniector habendus. Nam et infequentes Criticos faepe fine idonea caufa a fide librorum receffiffe, pofthac apparebit. Itaque huc redeunt omnia, ut ex reliquiis illis Zenodoti communis antiquior forma Homerici textus aeftimetur [83]), intelligaturque, quam tenuia primordia fuerint artis corrigendorum prifcorum monumentorum et ipfius gram-

ex Zenodoto etiam alii duo verfus notantur, ubi legit Ἴλιον αἰπύ, π. 92. σ. 174.

[83]) Hic reliquos locos omnes, in quibus Zenodoti mentio fit et apud Scholl. et apud alios fcriptores, numeris fuis in parva tabula fubnotabo; quo fimul brevitatis mihi impofitae et commoditatis legentium rationem habeam. Itaque conferant ipfi, qui, quantum licet, totum Z. cognofcere cupient: A. $\overline{5}$. (Athen. p. 12. F.) 24. 42. 60. $\overline{69}$. 73. 83. $\overline{86}$. $\overline{91}$. $\overline{97}$. 100. 129. $\overline{163}$. 169. (cf. Schol. Waffenb.) 204. 212. $\overline{216}$. $\overline{251}$. $\overline{271}$. 299. $\overline{400}$. $\overline{404}$. (cf. Euft. p. 124. et Hefiod. Θ. 734.) $\overline{434}$. 559. 567. $\overline{598}$. 609. 611. β. 4. 12. $\overline{35}$. $\overline{53}$. (cf. Schol. Waffenb.) $\overline{55}$. 56. $\overline{89}$. 111. $\overline{156}$. 161. $\overline{226}$. 297. $\overline{299}$. 314. $\overline{318}$. $\overline{435}$. 448. Catal. 9. 14. (cf. Strab. IX. p. 413.) 39. 78. 123. 133. 141. 174. $\overline{197}$. 201. 204. (cf. Steph. Byz. v. Ἀντρῶν) $\overline{225}$. $\overline{234}$. 248. 308. 359. (cf. Strab. XII. p. 543. 553.) γ. 18. $\overline{28}$. 51. 74. $\overline{99}$. 100. $\overline{155}$. $\overline{206}$. (cf. Apollon. Lex. v. ἀγγελίην cum Tollii Exc. II.) 211. 244. (cf. Apollon. Alex. II. p. 159. et Euft. p. 410.) 339. (ἀναφορὰ ad v. 334.) 361. $\overline{364}$. δ. $\overline{3}$. (cf. Euft. p. 438.) $\overline{88}$. $\overline{137}$. $\overline{139}$. 161. 277. 282.

maticae interpretationis. Quanquam veri nominis interpretationem ei adeo nemo veterum tribuit,

478. ε. 31. 128. 132. 146. 156. 162. 263, 323. 329. 638. 708. 807. ζ. 54. 70. 71. 121. 135. 226. 266. 514. (ἀναφορὰ ad v. 511.) η. 32. 153. 451. ϑ. 10. 53. 56. (ἀναφ. ad v. 558.) 139. 207. 213. 290. 349. 378. 448. 503. 526. ι. 3. 14. 29. 36. 88. 271. 404. 447. 502. 533. 560. (Schol. Horn.) 590. 608. 634. (referendum ad errorem paullo ante ex Schol. 131. memoratum in τ. 245. cf. Euſt. p. 741.) κ. 10. 25. 98. 127. 175. (ref. ad τ. 239.) 291. 317. 515. 545. λ. 32. 86. 94. 101. 106. 111. 123. 219. 222. 368. 413. 437. 439. 451. 458. 528. 588. 676. (hic unus e paucis locus eſt, in quo haud dubie Malloten Zenodotum intelligas rectius.) 753. 781. 830. 837. μ. 59. 66. 79. 127. 231. 296. 340. 342. 346. 348. 359. 368. 423. ν. 2. 68. 71. 148. 166. 191. 198. (Euſt. p. 927.) 222. 229. 237. 245. 257. 315. 374. 450. 485. 546. 551. 643. (Euſt. p. 953.) 692. 702. 824. ξ. 16. 36. 40. (Euſt. p. 966.) 89. 135. 208. 236. 249. 259. 276. 285. 299. 310. 349. 351. 366. 400. 412. 427. 437. 485, 505. ο. 86. 139. 169. 192. 207. 301. 307. 333. (Euſt. p. 277. 1018.) 356. 377. 459. 469. 470. 480. 587. 625. 640. π. 10. 93, 150. 161. 223. 233. (Steph. Byz. v. Δωδώνη) 243. 507. 515. 666. 677. 710 748. 807. ρ. 7. 15. 54. 103. 149. 171. 173. 215. 268. σ. 142. 155. 160. 210. 222. 230. 364. 400. 466. 502. 563. 570. 576. 579. 581. 584. τ. 26. 118. υ. 11. 114. 261. (cf. Apollon. de Synt. p. 164.) 273. 283. 331. 346. 484. φ.

ut nonniſi inita ratione emendandi interpretem egiſſe videri queat [84]).

95. 169. 335. ψ. 461. 527. 533. ω. 47. 110. 293. 512. 725. Praeter haec nihil in adverſariis habeo, quod ad Zenodotum pertineat, niſi nugas quasdam, quas unus Euſtathius ſervavit, ut p. 289. ſcripturam Ἐλλεροφόντης pro Βελλεροφόντης, p. 1014. ὅτι ὁ ἀλλαχοῦ ῥηθεὶς Παιήων ὁ Ἀπόλλων ἐστί, cum aliquot lectionibus in Odyſſ., p. 1394. (ad α. 93. cf. p. 1470.) p. 1478. 1490. 1500. 1773. 1841. (cf. Ammon. v. οὐδέν) 1885. etc. Si quid fuerit, quod omiſiſſe me poeniteat, reprehendetur mox alio loco.

84) Nullus eſt in Scholiis locus, ubi ὑπόμνημα ſ. *Commentarius* Z. excitetur, ut fit in Ariſtophane et Ariſtarcho. Ac perraro aliquid illius affertur, quod iſtuc ſpectet, et modo ex coniecturis Grammaticorum, ſcripturas Zenodoteas interpretantium, modo, ſi coniectura me non fallit, ex libro, in quo Z. difficiliora vocabula explicaverat ad morem gloſſographorum, qualem librum Zenodoti laudat Schol. Apollon. Rh. II. p. 1007. Cf. Athen. I. p. 12. D. et Schol. Theocrit. V, 2. ubi ex Odyſſ. ξ. 530. haec lectio citatur, νάκος ἕλετ' αἰγὸς ὀριτρόφου, cum Scholl. ad Il. β. 89. ι. 447. λ. 106. Etymologici M. locos de induſtria praetermiſi, quorum plerosque haud maiori iure ad hunc Epheſium referas, quam commentariolum illum a Valckenario editum in Animadvv. ad Ammon. p. 228. ſqq. Verum antiquiori confidentius adſcripſerim Ἐπιτομὰς μυθικάς, ab Athenaeo memoratas X. p. 412. A.

XLIV.

Zenodoto magiſtro diſcipulus ſucceſſit in edendo poëta emendandoque, Ariſtophanes Byzantius, Philopatore, qui et ipſe φιλόμηρος fuit [85]), atque Epiphane tum maxime imperantibus illuſtris. Is ſecundum Callimachum et Eratoſthenem princeps acerrimo ſtudio cognitionem poëtarum et omnes litteras antiquitatis amplexus [86]), ad exemplum philoſophorum et rhetorum grammaticam ſcholam aperuit, ex qua et alii Homerici prodierunt, e quibus hodieque tres noti ſunt [87]), et ille omnium

[85]) Aelian. V. H. XIII, 22.

[86]) Studii pertinacia intelligitur maxima fuiſſe ex locis Cic. de F. B. et M. V, 19. et Varronis de L. L. IV. princ. ubi Ariſtophani *lucerna* tribuitur, etiam ex ridicula narratione Vitruv. Praef. VII., qua *omnes libros ex ordine quotidie ſumma diligentia perlegiſſe* fertur. Quod nemo aliorſum (nam pinguius loquitur Architectus) quam ad aſſiduam lectionem claſſicorum ſcriptorum docendique operam trahet. Hic mihi in mentem venit viri docti ferventiore ingenio, quem nuper audivi, quum praedicaret, adoleſcentulum ſe tota Biblia ſacra inter prandium et potionem caldae Arabicae perlegere ſolitum eſſe.

[87]) Agalliam Corcyraeum iam alibi produxi. Eius condiſcipulos novimus duos, Diodorum, cuius inepta correctio Odyſſ. δ. 18. καθ' αὐτοὺς improbatur ab Athen. IV. p. 180. E. et huius compilatore, Euſtath., qui et p. 1504. Διόδωρον Γραμματικὸν laudat, ab illo, ut puto, et eo, cuius Schol. Pind. Iſthm. II,

longe clariſſimus Ariſtarchus. Sed Ariſtophanis in ceteras partes philologiae multo luculentiora vi-

54. meminit, non diverſum, atque Calliſtratum, qui ap. Athen. I. p. 21. C. Ariſtarchum acriter caſtigat, non ob malam emendationem, ſed quod ei *pallium disſediſſet impar.* Idem Calliſtratus eſt, cuius commentarii olim ferebantur ad Homerum, Pindarum, Euripidem, Ariſtophanem, laudati Scholiaſtis noſtris et alibi et ad Il. in ſex lectionibus (γ. 18. ζ. 434. μ. 25. φ. 126. ω. 134. 213.) ex operibus tribus, quae omnia vel ad interpretationem vel ad emendationem Hom. pertinuerunt. Quanquam ad γ. 18. eius *recenſio* affertur ἐν ταῖς χαριεστάταις. Unam coniecturam eius, μ. 25. ἐν δ' ἦμαρ, deorum numine quam Homero digniorem, etſi leniſſimam, antequam auctor Calliſtratus innotuerat, ex Moſaicis rationibus reiecit Barneſ. Aliam etiam leniorem coniecturam eius v. in Schol. min. et Euſt. ad Odyſſ. ρ. 455. At ut longe iſtis peiora luſerit, potuerunt tamen et eius et priorum duorum alia merita eſſe in Homerum, quae nunc penitus ignorantur. Ceterum quod *ſcholam* Ariſtophanis tanquam novum inſtitutum commemoravi, non puto idem de Zenodoto vere dici poſſe. Huius enim diſciplina nusquam laudatur, nec quisquam Ζηνοδότειος proprio nomine, niſi forte huc referre velis aliquoties in Scholiis dictos τοὺς περὶ Ζηνόδοτον, ut η. 452. ο. 86. Sed haec formula loquendi potius adſtipulatores ſignificat quam ſectatores. Hos appellarent Scholl. τοὺς ἀπὸ Ζηνοδότου, ſicut τοὺς ἀπ' Ἀριστάρχου, *Ariſtarcheos*, ſ. ut Varro vertit, *ab Ariſtarcho Grammaticos*, τοὺς ἀπὸ Κράτητος etc. Ante Ariſtophanem tamen hoc docendi inſtitutum videri poteſt placuiſſe Calli-

dentur merita fuiſſe, quam in Homerum; ſiquidem in quadraginta locis, in quibus a veteribus celebratur, vix ſemel aut iterum mentio fit horum Carminum ab illo recenſitorum vel illuſtratorum [88]).

Etenim ille, ut ſummas res generatim perſequar, praeter delectus et cenſuras ſcriptorum cuiusque claſſis optimorum, quas ab Ariſtophane utiliſſime inſtitutas abſolvit Ariſtarchus [89]), maiore diligentia primus inquiſivit, quid genuinum aut ſpurium eſſet in monumentis priorum temporum [90]); primus idem Grammaticen linguae Grae-

macho, quem ipſum quoque ille audivit. Quippe *Callimachei* nominantur apud Athenaeum Hermippus et Iſtrus, idem Iſtrus, ut opinor, cuius duo errores refutantur in ſeptem locis Scholl., ad β. 110. ϑ. 491. κ. 298. 439. ν. 629. ο. 230. τ. 34. Ipſius Callimachi 30 locis laudati nihil occurrit, quod proprie ſcriptum ſit ad emend. aut interpr. Hom. Ex alio enim genere ſunt, etſi utroque pertinentia, ad Catal. 332. et ad Odyſſ. δ. 1. ap. unum Euſtath. cui cf. Apollon. Lex. v. κητώεσσαν.

88) Vide Meurſ. Bibl. Gr. p. 1254. T. X. Theſ. Gron. Sed Meurſii et ceterorum induſtriam brevi ſuperabit doctus iuvenis, Bredovius, in Comment. de vita et ſcriptis huius Ariſtophanis.

89) Ita interpretor Quinctil. X, 1, 54. 59. De re, quam modo attigi n. 60., accuratiſſime diſputantem Ruhnkenium vide in Hiſt. Oratt. Gr. extr.

90) Vide Quinctil. I, 1, 15. et vet. Scholion Heſiodico Scuto ab Aldo et Steph. ſubiectum, in quo Fragmento

cae, maxime analogiam et reliquas partes, quae diſcretis nunc profeſſionibus a philoſophis tractantur, acutius rimatus eſt [91]), varieque omnem hanc artem inſtruxit, inventa etiam notatione accentuum et interpunctione, quum ad id tempus inflexio et ſonus vocis nullo uſu ſignorum regeretur, unusque ac perpetuus ductus litterarum lectionem valde impediret [92]). Quam propter unam rem Ariſtophanis nomen perpetua memoria dignum habendum eſſet, niſi memoriam talium quotidiana conſuetudo exſtingueret. Praeter haec in multos et graviſſimos ſcriptores commentatus eſt, recenſuitque ac diſpoſuit eorum opera, ut

auctoritate Ariſtophanis dubitatur, an Heſiodi id Carmen fuerit. Quae ſuſpicio haud dubie ad totos Καταλόγους pertinuit. De extremis Odyſſeae ab eodem Critico in dubium revocatis dixi ſupra p. CXXXV.

91) Studioſe legerat illa Varro, de L. L. ſcribens. Vide IV. edit. Bipont. p. 51. VIII. p. 129. IX. p. 177. Quorum locorum altero confirmatur id, quod paullo ante ſuſpicatus ſum de conſuetudine ſermonis veritati analogiae poſthabita a Grammaticis.

92) Vide Foſteri Eſſay on Accent and Quantity p. 182. ſqq. et eos, quos laudat Villoiſ. in Append. ad Epiſtt. Vinarr. ſeu potius diu deſideratum ſcriptum Arcadii Antiocheni περὶ τῆς τῶν τόνων εὑρέσεως etc. ibidem ab illo primo editum. Ex ea doctrina Ariſtophanis paſſim aliquid de ratione accentuum afferunt Grammatici, primus omnium Apollon. Alex. IV. p. 304.

Heſiodi, Alcaei, Pindari, Platonis [93]). Praecipuum vero ſtudium impendit in ſcenicos poëtas, maxime in Comicum cognominem ſuum, neque ſic, ut in obſcuris ſeu elegantibus vocabulis haereret, ſed ut univerſam vim et artem et tempora fabularum exponeret [94]).

Homerum autem quomodo tractaverit, et quasnam rationes eius emendandi ſit ſecutus, aeque obſcurum eſt, quam erat in Zenodoto. Nam etſi recenſio Ariſtophanea nunc nuper ſatis multis lectionibus innotuit [95]), quoniam tamen earum

[93]) Vide Schol. ad Heſiod. Θ. 68. Hephaeſt. Enchir. p. 74. Diog. Laert. III, 61. Pind. Vitam a Th. Magiſtro collectam, ubi legimus, Ἄριστον μὲν ὕδωρ προτετάχθαι ὑπὸ Ἀριστοφάνους τοῦ συντάξαντος τὰ Πινδαρικά, διὰ τὸ περιέχειν τοῦ ἀγῶνος ἐγκώμιον καὶ τὰ περὶ τοῦ Πέλοπας, ὃς πρῶτος ἐν Ἤλιδι ἠγωνίσατο. Similia, puto, et maiora horum Criticorum merita ſciremus in Lyricos, praeſertim in metrica doctrina, niſi ruina ingens hic optima quaeque opera abſumpſiſſet.

[94]) Res apparet ex Summariis vel Argumm. aliquot Sophoclis, Euripidis, Ariſtophanis, ad quos nonnunquam etiam laudatur in Scholiis, tum ex Athenaei loco VI. p. 241. F., ubi Machoni, claro tum poëtae comico, operam dediſſe dicitur, de partibus comoediae praecipienti. Fuitque Ariſtophanis noſtri proprius commentarius de larvis, eodem teſte Athen. XIV. p. 659. B. Cf. Bentl. de Epiſtt. Phalar. p. 25.

[95]) Η Ἀριστοφάνειος διόρθωσις, ἡ κατὰ Ἀριστοφάνη. Eam utrumque Carmen complexam eſſe, ex Athenaeo et Euſtathio ſatis intelligitur. Sed cave putes, eam integram veniſſe in manus Grammaticorum noſtrorum. Ii enim hic quoque in lectionibus inde excerptis vocabulo φασὶ utuntur, alibi auctorem ſuum produnt Calliſtratum, Ariſtophanis diſcipulum. Hic igitur lectiones magiſtri ſui vel ipſe receperat in textum, vel in libris ſuis, ἐν τῷ περὶ Ἰλιάδος, ἐν τοῖς διορθωτικοῖς, ἐν τῷ πρὸς τὰς ἀθετήσεις (ſ. contra obelos Ariſtarcheos) ſervarat. Calliſtratum hunc rurſus excerpſit Didymus; Didymi autem opera in hisce rebus plurima fruimur. Vide ad β. 111. 435. τ. 76. 327. etc.

nec rationes traduntur, quas ipſe attulerat in Commentariis [96]), neque fontes, unde eas hauſit, quantum ei ſive meriti ſive culpae asſignandum ſit, plerumque incertiſſimus haereas neceſſe eſt. At illud nobis facile largientur docti, ut in huius quoque recenſionis fragmentis pleraque ad παράδοσιν quandam et ſcripturam tum vulgatam referamus, praeſertim inepta illa, quae cum Zenodoto et aliis antiquioribus communia habuit, neque igi-

[96]) Ὑπομνήματα enim addidiſſe illum recenſioni ſuae, multas ob cauſas certum eſt, etſi nusquam ea nominatim memorantur in Scholiis, niſi forte ad β. 133. et φ. 130. ubi ποιημάτων in ὑπομνημάτων mutandum eſſe recte vidit Bredovius meus. Inde ſumptus eſt, ut opinor, locus de verſu Odyſſeae ap. Athen. VI. p. 228. D. et illa Porphyr. Q. H 8. in quibus ὁ βέλτιστος Ἀριστοφάνης laudatur ῥητῶς. Ac Porphyrius fortaſſe volumen oculis uſurpaverat; at Scholiaſtas illud uſurpaſſe non crediderim.

tur primus adſciviſſe putari poteſt [97]). In his ergo non tam illud patet, quid probarit ipſe aut poëta digniſſimum iudicarit, quam quid non improbarit, quid loco non moverit. In ceteris autem, in quibus nulla antiquior auctoritas affertur, tametſi Excerpta Scholiorum apud me quidem minime habent hanc fidem, ut ea ad diligentiam accuratae orationis interpretari aut ex quovis ſilentio aliquid extundere audeam; ſed in ceteris tamen, quae Ariſtophani proprie tribuuntur, maiorem doctrinam et modeſtiam facile agnoſcimus. Ac reperiuntur in eo numero plura, quae partim non reiicienda Ariſtarcho viſa ſint, partim, vel invito hoc, ab inſequentibus Criticis in vulgatum textum recepta [98]). Alia autem, quae deinde

97) Zenodotea ſunt haec, e quibus tamen perpauca eas ſordes olent, quas modo ridebamus: ſed ſatis erit numeros ponere: A. 91. β. Catal. 308. (vulg. 801.) γ. 57. 126. δ. 137. ζ. 121. η. 452. ϑ. 290. 304. ι. 158. κ. 306. μ. 66. 79. 127. ν. 2. 71. 107. 245. 246. 551. ξ. 36. 177. 208. 229. 259. 276. 299. 310. 400. 412. 505. ο. 139. 301. π. 223. σ. 198. 400. 466. 502. ψ. 461. — Aliis 9 locis notatur Ariſtophanis conſenſus cum aliqua editt. urbicarum, α. 298. 424, 585. 598. γ. 51. ο. 44. τ. 86. υ. 188. ω. 30., bis cum una Rhianea, τ. 41. et ψ. 81.

98) Vide ad α. 108. 298. 553. β. 53. 164. 436. 447. γ. 18. 35. (ubi licet dubites, παρειά ne praetulerit Ariſtarchus an παρειάς: nam in Ven. textu, ſicut in Lipſienſi, legitur παρειά: idem certe utrique

mutarunt vel reiecerunt editores veteres, non ſunt omnia eiusmodi, ut mutandi cauſae videantur ſatis

placuiſſe perſpicuum eſt, et cf. ad χ. 491.) 227. ε. 638. (ubi poſt ineptiſſimos disſenſus Criticorum de voc. οἷον in Ariſtophanis ſcripturam recte conventum eſt,) ζ. 148. μ. 26. ξ. 40. 45. 236. 285. ο. 49. 53. 134. 601. π. 175. τ. 76. 77. φ. 126. ψ. 463. In nonnullis quidem horum Ariſtarchi nomen non legitur, quae tamen ad auctoritatem illius referenda eſſe paullo poſt probabiliter oſtendam. Quod ſi eruditis probavero, Ariſtophani celeberrimus diſcipulus in his ἀθετήσεσιν adſtipulatus eſt: Θ. 164 — 166. $\overline{189}$. $\overline{235}$. ι. 684 — 688. κ. $\overline{387}$. $\overline{397}$ — 399. λ. $\overline{766}$ — 784. (νῶϊ — υἱός) ξ. 95. 213. $\overline{317}$ — 327. ο. $\overline{56}$ — 77. 147. 148. π. 261. σ. 597. 598. τ. $\overline{327}$. ψ. 824, 825. ω. 6 — 9. 614 — 617. Quibus in locis, ſi paucos exceperis, egregia critices ſpecimina eſſe, et partim imitanda mihi putabam uncis expediendis, quorum defenſioni alius locus deſtinatus eſt.

Hic et eae ἀθετήσεις addendae ſunt, in quibus Ariſtophanes Zenodotum ſecutus eſt quatuor modis. Etenim aliqui verſus aberant ab utriusque textu, ut duo hi: (nam plures non notantur:) κ. 498. et ο. 33. Talibus ergo levis fides eſt ab antiquiſſimis libris; ut, ſi de vſſ. huius generis accurate moneremur in Scholiis, non dubium eſt, quin vulgo nunc multo aliter et rectius de antiqua hac audacia ἀθετήσεων ſentiremus. Sed pauca illa, quae accepimus, manca ſunt interdum et turbata, tanquam in priore iſtorum exemplorum, κ. 498., cui verſui unus ſaltem ex proximis comes addendus videtur. Tum

graves fuisse, si solam commoditatem sensus et usum Homericum spectes: quo ulterius progredi nequeas, quandoquidem nunc de testimoniis antiquorum codicum non constat [99]). Sed ut plures

alii versus a Zenodoto ἠθετημένοι erant, quos plane omisit Aristophanes. Verum tantum unus talis notatur, ξ. 114. Item unum exemplum legimus versuum ab utroque ἠθετημένων, η. 195 — 199. Longe plures, quibus notam reiectionis appinxerat, ex eo genere erant, quod ne scripserat quidem Zenodotus, οὐδὲ ἐγεγράφει. Quales, si Scholiastis credimus, hi potissimum erant ab Aristophane ἠθετημένοι i. e. *notis compuncti:* Θ. 284. 385 — 387. 553. 554. ι. 23 — 25. 690. κ. 253. λ. 13. 14. 78 — 83. 180. 356. 515. μ. 175 — 180. 450. Uno denique loco φ. 130., ubi hunc et seqq. 5 versus compunxisse dicitur Aristophanes, unius huius auctoritas laudatur seorsum.

Iam summam ini versuum omnium, huic Critico suspectorum; et minime mirabere, cur ille a veteribus nusquam reprehendatur ob nimias ἀθετήσεις. Immo satis modeste fecit, quod eos quoque versus, quos Z. vel deleverat vel in codd. suis non invenerat, apposuit, ne quid fraude videretur subtraxisse, quod alius forsan Homericum iudicaturus esset. Ceterum etsi de his et aliis rebus timide coniiciendum est propter reliquiarum huius generis paucitatem, illud tamen verisimillimum est, *Zenodoteum textum* Carminum Homericorum, quod hodie dicimus, *fundum* fuisse *Aristophanei.*

[99]) Certe per se spernenda non fuerat maxima pars harum lectionum: β. $\overline{192}$. γ. $\overline{373}$. η. $\overline{32}$. $\overline{238}$. ι. $\overline{203}$.

illarum lectionum vulgatas nostras aequiparant, ita insunt etiam in illis, quae plane praestent [1]). Quas si Aristophanem coniectando indagasse pro absurdis et falsis prioribus putemus, haud male de ingenio eius critico existimandum erit. Quanquam ultro fateor, me ne in his quidem, quae paullo certius ad eius coniecturam referri possunt, robustiorem coniecturalis artis infantiam quam in Zenodoto intelligere [2]). Quo magis augetur exspectatio,

$\overline{547}$. κ. 306. $\overline{349}$. λ. 103. 545. $\overline{685}$. μ. $\overline{40}$. 68. ν. $\overline{8}$. $\overline{12}$. 51. $\overline{364}$. 613. $\overline{733}$. ξ. $\overline{44}$. ο. $\overline{10}$. 197. π. $\overline{25}$. σ. $\overline{53}$. τ. $\overline{96}$. 105. $\overline{386}$. Immo erunt, opinor, quibus nonnullae earum nunc quoque textu dignae videantur, quum ab iis discessum videri queat potius per libidinem et operosam sedulitatem, quam melioribus libris consultis.

[1]) Tales esse duxi recepique in primis has duas, μάχην pro μάχης ο. 459., Ὅσσον δ' ἐννεάχιλοι pro ὅσ. τ' ἐννεάχ. ξ. 148., tertiamque, ni fallor, a vulgata non longius abhorrentem, cuius nunc non memini. Ac forsitan recipere debuissem aliquam ex iis, quas Scholl. probant formulis suis, οὐκ ἀχαρίστως, et μήποτε ἄμεινον, (h. e. *melius fortasse, haud scio an melius fuerit,*) ut ν. 502. πρόσθεν p. πρῶτος etc. aut hasce non inelegantes scripturas, οὐδὲ μὲν ἰδρείῃ p. οὐδέ τ' αἰδρείῃ η. 198., τούς p. δή μ. 68., ἵππῳ p. ἵππων δ. 142. Nam Scholiastae non credo, Aristophanem ibi ἵππω legisse dualiter. Sed his in locis vulgatae defendi bene poterunt.

[2]) Videlicet hoc sensu diligens cogitatio imbuit comparantem omnia sub uno adspectu. In singulis

quid tandem Ariſtarchus dignum allaturus ſit fama, quam ob emendatum et quaſi reſtitutum poëtam

enim, ut ſaepe dixi, parum certum, quid quisque coniecerit primus. Quodſi coniecturae a veteribus lectionibus dignoſci a nobis coniectura poſſent, in illis potiſſimum numerarem has, γ. 13. κονισάλου ὤρνυτ᾽ ἀέλλη, (ſi modo ita Schol. voluit, ac non ἀελλής, uti ſcriptum eſt. Subſtantivum autem iſto modo ſcribebant olim, non ἄελλα. Cf. V. L. ad π. 374.) ζ. 148. τηλεθόωντα, mox ὥρῃ, caſu tertio, cum ſimilibus nonnullis. Qualia, qui acutius movetur, quam plurima chartis illudat quavis hora. Poſtremum illud, ὥρῃ, receptum eſt ab omnibus, obliterato antiquiore nominativo, quem nunc tandem revocavi, quia ex eo haud paullo aptior ſententia efficiebatur et conſtructio Homero propria, ἔαρος δ᾽ ἐπιγίγνεται ὥρη, *vere oriente.* Et nunc ipſum audio de Buttmanno, praeſtantis ingenii viro, ei iam dudum eandem rationem et correctionem in mentem veniſſe.

Praeterea age etiam reliquos locos hic notemus, ubi Ariſtophanis criſis apponitur in Scholiis noſtris: Α. 124. γ. 42. δ. 17. η. 436. ϑ. 10. 513. ι. 4. κ. 153. 391. λ. 26. 94. 219. μ. 54. 59. ν. 29. 60. 92. 348. 713. ξ. 45. 58. 416. 474. π. 188. 313. 634. ρ. 178. 234. 264. σ. 576. υ. 306. φ. 127. 249. 446. In quibus quam levia et minutula inſint, viderit ſtatim, quicunque moleſtiſſimo labore noſtro uti volet. Idemque inconſtantiam et negligentiam Excerptorum vel ſponte intelliget inde, quod illic plane omiſſa eſt Ariſtophanis varietas in α. 122. φιλοκτεανέστατε, quam ii, qui prope nihil iſtiusmodi praebent, Euſtathius et brevior Schol. ad Odyſſ. β. 190. ſervarunt, quum eximia Scholia adeo accurate prodant, illum ν. 713. σφὶν σταδίῃ, non σφι σταδίῃ, ξ. 203. Ῥείας, non Ῥείης etc. legiſſe.

conſenſu omnis antiquitatis adeptus eſt celeberrimam.

XLV.

Incredibile dictu eſt, quanta Ariſtarchi [3]) olim auctoritas fuerit non ſolum apud homines eiusdem profeſſionis, ſed apud eruditos omnes, et Graecos et Latinos. Nimirum quum plerique Grammatici, artem docentes Alexandriae et Romae, in quibus ad XXXX erant profecti ab ipſius diſciplina [4]), aliique ab Ariſtarcheis inſtituti hunc

Ad Odyſſeam denique nihil ſupereſt praecipui ex variis ſcripturis Ariſtophanis, niſi ap. Athen. et Euſtath., qui longe plura illius grammatica habet, ex Ὑπομνήμασι, Γλώσσαις et ſimilis generis libris excerpta, quae diutiſſime per manus virorum doctorum tradita videntur. Indidem aliquid in Venetis affertur ſeptem locis ad interpretandum, α. 5. 567. ι. 378. κ. 334. λ. 4. φ. 126. ψ. 104., alibi ad proſodiam ſ. accentus, ε. 289. ο. 606. υ. 30. ψ. 419. ω. 84. coll. ad ο. 10.

[3]) Sub Ptolemaeo Philometore, circ. Olymp. CLVI. Vide Bayle Dict. v. Ariſtarque et C. L. Mattheſii Diſſ. de Ariſtarcho Grammatico, 1725.

[4]) Paucorum accurata memoria exſtat, nonnullorum nil niſi obſcura nomina, apud Suidam prodita paſſim, ut Aperi, Dicaearchi Lacedaemonii etc. Eo-

Pythagorica quadam superstitione uno ore velut deum suum colerent, ut profiterentur etiam, malle se eo duce errare potius quam vera sentire cum ceteris [5]), paullatim ad eos omnes, qui scholas illorum frequentabant, studiisque litterarum et poëtis interpretandis aliquam partem aetatis impertiebant, (id autem per ista saecula liberaliter educandus quisque faciebat,) ingens viri dimanavit existimatio, nomenque quodammodo traductum est in ipsam artem explicandorum et castigandorum scriptorum [6]). Ita factum est denique, ut, quamvis vitam et libros eius multo minus quam Aristophanis norimus, ipse hodieque in vulgus celebrior sit et Aristophane et reliquis omnibus, qui

rum, qui aliquid ad Homerum commentati sunt, posthac mentio fiet. Hic et alibi valde desideramus diligentissimi Ionsii promissum opus de Grammaticis Gr.

[5]) Apparet hoc ex multis locis Scholiorum, in quibus hi maxime ridiculi sunt, ad β. 316. Ἐπειδὴ οὕτως δοκεῖ τῷ Ἀριστάρχῳ, πειθόμεθα αὐτῷ, ὡς πάνυ ἀρίστῳ Γραμματικῷ, et ad δ. 235. Μᾶλλον πειστέον Ἀριστάρχῳ ἢ τῷ Ἑρμαπίᾳ, εἰ καὶ δοκεῖ ἀληθεύειν.

[6]) Eximiae de Aristarcho laudes sunt aequalis philosophi, Panaetii, ap. Athen. XIV. p. 634. C. vocantis illum μάντιν, διὰ τὸ ῥᾳδίως καταμαντεύεσθαι τὰς τῶν ποιημάτων διανοίας, et Sexti Empir. c. Math. IX, 110. qui eum Platoni aliarumque artium summis ingeniis comparat. Notiores loci sunt Latinorum, in primis Horatii Art. poët. 450. Ciceronis Epp. ad Att. I, 14.

olim in hoc minime illustri genere doctrinae elaborarunt [7]).

Dicitur Aristarchus amplius DCCC Commentarios grammaticos et criticos conscripsisse, ac, si Suidam recte intelligo, nihil aliud quam Commentarios [8]). Verum illi, in quibus exemplo prae-

[7]) Cur grammaticam doctrinam *minime illustrem* appellem, probe intelligent, quibus antiquarum, praesertim liberarum, civitatum mores et studia cognita sunt. De quibus verbo monui ad p. XLVIII. Sed in utroque populo, ut quaeque ars et scientia subtilior erat et ex abditioribus fontibus haurienda, ita minus gratiae et honoris habebat in vulgus. Itaque vel utilissimarum rerum periti, Geometrae, Astronomi, Medici, Grammatici et Critici paene contemnebantur prae Oratore et rerum civilium prudente: ipse Archimedes *humilis homunculus* est ad Platonem et Archytam. Quanquam fastus hic est Romanorum, qui magis, quam unquam Graeci fecerunt, liberalia studia ad lucellum rei publicae et popularem gloriam revocabant. Conf. Mureti Var. Lectt. VI, 1. ubi quae de philosophia dicuntur, multo etiam veriora sunt de grammaticis studiis.

[8]) Nam ambigua sunt verba Suidae v. Ἀρίσταρχος: Λέγεται γράψαι ὑπὲρ ώ βιβλία ὑπομνημάτων μόνων. Sed nusquam in tot locis veterum ullum proprium opus Aristarchi memoratur, ut huc potissimum pertinere putem a Porphyr. in Hor. Epistt. II, 1, 257. servatum dictum Aristarchi, *qui quum multa reprehenderit in Homero*, (interrogatus, puta, ab aliquo, cur non ipse Carmen componeret ad optimas leges artis,) *aiebat*, *Neque se posse scribe-*

ceptoris ſui praeſtantiſſimorum poëtarum et multarum Grammatices partium explicationem et cenſuram complexus erat, iam dudum ita perierunt, ut ne formam quidem ullius eorum, neque ex ipſis quaeſtionibus, quas tractaverat, et quibus etiam nunc magna pars litteraturae nititur, quidquam praeter diſperſas quasdam et miſere laceratas ſententiolas reliquas habeamus. Ut ex iis libris, quos defendendae analogiae cauſa contra Cratetem ſcripſerat, quantillae hodie ſunt reliquiae [9])! Illuſtraverat idem Archilochum, Alcaeum, Anacreontem, Aeſchylum, Sophoclem, Ionem, Pindarum, Ariſtophanem, Aratum, alios. Horum partem cum ipſis Commentariis aetas Muſis inviſa abſtulit; ad plures eorum, qui exſtant, nihil ſupereſt, certe quod conſtet illius eſſe; ad Lyricum quidem et Comicum aliquid, ſed nihil ad id, quod olim fuerat. Quid? quod *recenſionem* eius *Homericam* admodum nuper tam parum noramus, ut, quatenus haec vulgata noſtra ad eam accederet, a viris doctis fruſtra quaereretur. Cui quaeſtioni

re, *quemadmodum vellet, neque velle, quemadmodum poſſet.* Haud abſurda profecto vox, et prudentiae modeſtiaeque plena; ſimilisque eſt ſententia poëtae, *Fungar vice cotis* etc.

[9]) Vide Varr. de L. L. VII. p. 119. 121. VIII. pr. p. 126. 151. IX. p. 170. collato Gellio II, 25. Illis locis ſi addideris Quinctil. I, 4, 20. Chariſ. I. p. 94. Priſcian. XVII. p. 1065. 1106. Putſch., habebis omnia, quae Latini ex hoc genere conſervarunt.

etſi ne nunc quidem ſatisfieri a nobis poteſt, tamen Venetorum Scholiorum beneficio tot tantaeque Ariſtarchi copiae patuerunt, ut is unus nobis plus operis praebeat, quam alius quisquam Grammaticorum Graecorum. Qua in abundantia materiae hoc loco vix graviſſima quaeque complecti conor, ſatis habiturus, ſi univerſe quaedam percurrendo, obſervationibus, ad ſingulos locos Homeri afferendis, idonea fundamenta iecero.

XLVI.

Hanc ad rem neceſſarium eſt disputare diligentius de omni ratione critices veterum, veramque eius animo capere ſpeciem. Nondum enim ſatis refutavimus [10]) vulgarem errorem, quo facile ducimur omnes, ut Criticos antiquitatis horum, qui nunc ſunt, ſimiles, atque Ariſtarchum in primis Bentleii ſeu Valckenarii, ſeu quisquis antiqua ſcripta pari ingenio expolit, longe ſimillimum putemus. Idque nobis perſuadere volunt allato elogio Horatiano, *Fiet Ariſtarchus*, cui elogio etiam Panaetianum addere poterant.

Sed, ut a poſteriore ordiar, illud ad interpretem pertinet manifeſte, non ad emendatorem. Horatii vero tota ſententia talis eſt, in qua ſi pro *Ariſtarcho* ſubſtituatur *Ramlerus* noſter, acerrimus alienorum Carminum caſtigator, mutationem iuxta ferant ii, qui huius iudicia laudant, et qui ea adferant

[10]) §. XXXVIII. praecipue p. CLXXIII.

ſpernantur. Inde apparet, Criticum ibi hac ſignificatione noſtra non dici. Iam quod minus ambigue, licet per iocum, ſcribit Cicero [11]), *Ariſtarchum Homeri verſus negaviſſe, quos non probaverit*, num hoc certius ſignificat, principem Criticorum artem corrigendi ad hunc noſtrum modum et accuratae diſciplinae formulam exercuiſſe? an potius credere nos cogit, illum neglecta prima lege hiſtoriae mutaſſe et expunxiſſe ea, in quibus Homerus peccare, labi, dormitare videretur? Seneca quidem eos verſus, quos Ariſtarchus negaverat, *alienos* dicit [12]), Auſonius etiam *ſpurios* [13]), planeque vetus interpres Horatii, *verſus quos indicarit Homeri non eſſe*; neque equidem dubito, quin ii maxima ex parte tales viſi ſint Ariſtarcho: (nam varii modi corruptelarum et interpolationum, quas Homerum expertum ſupra expoſui, multo clarius tum cognoſci potuerunt, quam ex tanto intervallo

[11]) Epp. ad Famil. III, 11. Conf. earundem IX, 10. et Orat. in Piſon. 30.

[12]) Epp. LXXXVIII. extr. *Ariſtarchi notas, quibus aliena Carmina compunxit, recognoſcam?* Nempe id fecerant faciebantque Senecae aetate plures, infra nobis indicandi.

[13]) Epp. XVIII, 29. Hoc enim verſu,
Quique notas ſpuriis verſibus appoſuit,
minime debuit dubitari, quin Ariſtarchus deſcribatur. Maiori iure dubitari potuiſſet, annon idem etiam proxime antecedente verſu Auſonii laudaretur.

temporum:) attamen non credo, iſtam rem ab illo in magno diſcrimine poſitam eſſe. Immo quum horum temporum et hominum ingenia intueor, et clara veterum teſtimonia accurate comparo, videri mihi ſolet Ariſtarchus non aliter tractaviſſe Homerum, ac Cato ille Lucilium, cuius *male factos verſus emendabat*, atque Varius et Tucca Virgilii imperfectum poëma tractaturi fuiſſent, niſi morientis amici et Auguſti voluntas intercesſiſſet [14]).

Quippe illo Graecorum aevo, quamvis in minutiis grammatici generis occupatiſſimo, non potuit non vilis et eruditi hominis acumine parum digna haberi haec cura libros dividendi in partes, praeponendi ſummaria, codices inter ſe comparandi, librariorum menda tollendi, vocabula ſignis diſtinctionum et accentuum notandi, et ſi qua alia ſunt, quae partim aſſignantur *Grammatiſtis*. Ab his diverſos conſtat fuiſſe *Grammaticos*, verborum et ſententiarum interpretes, ac multo magis eos, qui a nonnullis ſubtiliores et nobiliores Gramma-

[14]) Notiſſima eſt hiſtoria ex Donati Vita Virg. §. 52. 59. et luſibus poëtarum. Ad rem non male congruunt verſus Eugenii Praef. ad Dracontii Hexaëm. a Fabricio allati:
Quodſi Virgilius, et vatum ſummus, Homerus,
Cenſuram meruere novam poſt fata ſubire,
Quam dat Ariſtarchus, Tucca, Variusque, Probusque —

tici vocantur [15]), *Criticos*, quorum munus erat, auctoritatem et γνησιότητα veterum ſcriptorum exquirere, et ſua cuique vindicare, maxime vero virtutes illorum et vitia percenſere, ut diſcerent auditores, quid in iis imitandum, quid veris ſcribendi legibus contrarium eſſet. Illa eſt ἡ τῶν λόγων κρίσις, πολλῆς πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα, ut ait Longinus, non haec in reſtituendo genuino habitu librorum et in aucupiis litterularum occupata doctrina. Ex illa qui Κριτικοὶ Graecis, iidem Latinis *iudices ſcriptorum* uſurpantur, habenturque in hoc numero vel in primis ii, quos nemo dixerit laboraſſe illud, ut manus auctorum collatis codicibus ſeu coniectura indagarent, ſicut Maecius Tarpa, fabularum Romae in commiſſionem productarum auditor aeſtimatorque [16]).

Tali igitur emendatione vel potius cenſura certarunt olim in Homero et quaſi cum Homero Critici omnes, impellente ipſa praeſtantia Carminum, ut nihil omitterent, quo augeri ea poſſet, et perfectiſſimus ſermonis et poëticae artis nitor

[15]) Δοκιμώτατοι Γραμματικοὶ apud Athen. III. p. 116. D. Τινὲς Κριτικῶν, ὅ ἐστιν ἀκριβεστέρων Γραμματικῶν. Euſtath. p. 773.

[16]) Cic. Epp. ad Famil. VII, 1. Hor. Serm. I, 10, 38. A. P. 387. Ibi eundem Tarpam Scholiaſtae Criticum et emendatorem, et, quod modo poſui, *ſeverum doctumque auditorem et aeſtimatorem Carminum* vocant.

induci. Qua in re, quo quisque ingenioſior erat, eo plerumque immodeſtius videtur verſatus eſſe, textumque ſaepe depravaſſe corrigendo. Scilicet is critico iudicio maxime pollere putabatur, qui optimum poëtam proprio ingenio emendare poterat. Alii autem emendationes tales vel in Commentariis ſuis proponebant, vel in ſcholis, ex quibus mox ab auditoribus colligebantur. Totam autem rem primo non displicuiſſe, oſtendit memoratus paullo ante litterator Athenienſis, qui emendandi Homeri facultatem et ſtudium ſuum Alcibiadi venditabat, minime, ſi quid video, diverſum ab eo, quod hic deſcribimus. Poſt aliquanto quam Zenodoti et aliorum, in optimos verſus et univerſa Carmina graſſantium, libidinem nimium ſenſiſſent vetuſta monumenta, ars iſta iure coepit in crimen et reprehenſionem modeſtorum et prudentium incurrere, notarique a multis *cenſoria inſolentia* et *acerbitas* et frigida cura rerum minutiſſimarum [17]), ſed nusquam hoc genus *levitatis* et *audaciae*, quod

[17]) Vide Herodici Babylonii, et ſuppariium Horatio poëtarum, Antiphanis Maced. Philippique Theſſalon. Epigramm. in Brunck. Anal. II. p. 65. 205. V. p. 223. XLIII. XLIV. (Anthol. Planud. II, 10.) ubi ridentur Γραμματικοὶ Μώμου τέκνα, Ζηνοδότου σκύλακες, οἱ περὶ Καλλίμαχον, αἵ τ' ἀπ' Ἀριστάρχου σῆτες ἀκανθολόγοι, Ἀριστάρχειοι γωνιοβόμβυκες, μονοσύλλαβοι, οἷσι μέμηλε τὸ ΣΦΙΝ, τὸ ΣΦΩΙΝ καὶ τὸ ΜΙΝ ἠδὲ τὸ ΝΙΝ etc. Similiter alii poſt, tanquam Lucianus, notans τῶν ἀμφὶ τὸν

hodie Criticis obiici ſolet. Neque tamen ullus illorum Criticorum, quod quidem conſtet, unquam ita verſatus eſt in textu tragicorum aut aliorum recentiorum poëtarum: ſoli vetuſtiores ἀοιδοὶ petebantur omni licentia mutationum, correctionum, interpolationum, liturarum [18]); ex quo plane apparet, eam licentiam tum temporis non novam fuiſſe, atque adeo ex nota fortuna ἀοιδῶν auctoritatem quandam et ſpeciem rationis traxiſſe.

XLVII.

Verum iſta omnia ſic accipi nolim, quaſi bonos et accuratos emendatores negem antiquis et exquiſitis códicibus uſos eſſe, iisque comparandis genuinam formam textus quaeſiviſſe. At genuina illis fuit ea, quae poëtam maxime decere videbatur. In quo, nemo non videt, omnia denique ad Alexandrinorum ingenium et arbitrium redire. Quamobrem in tanta tamque calamitoſa ruina antiquitatis proſperrime evenit, ut is potiſſimum manus admoveret operi, probareturque maxime, qui

Ζηνοδότου καὶ Ἀριστάρχου γραμματικῶν πολλὴν τὴν ψυχρολογίαν Ver. Hiſt. II. p. 117.

18) Non unus Homerus: etſi rem apud hunc maxime idoneis et certis indiciis tenemus. Verum qui de Heſiodo dubitet, nec ipſarum eius reliquiarum ſpecie moveatur, meminerit modo loci illius in Theogonia, 18 verſibus aucti ex libro veteris Chryſippi apud Galen. de Hippocr. et Plat. Dogm. III. extr. T. I. p. 273.

certe non eſſet in audaciſſimis, qui ſaepe Zenodoteam temeritatem coerceret, qui veras ſermonis Graeci leges acutiſſime omnium intelligeret. Sed de his rebus paullo poſt, ubi exemplis propoſitis probatiſſimi Critici ingenium et artem deſcribam.

Ea exempla ſumpta ſunt ex reliquiis *duarum recenſionum*, quae olim ad Ariſtarchum referebantur. Idque ſtatim poſt mortem eius factum arbitror. Nam quum Ammonius, Ariſtarchi auditor et ſucceſſor in ſchola Alexandrina, librum ſcriberet, περὶ τοῦ μὴ γεγονέναι πλείονας ἐκδόσεις τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως [19]), perquam credibile eſt, iam tum duplicem editionem ſeu duplex exemplum Ariſtarcheae recenſionis in muſeis circumferri coepiſſe. Quae opinio et fama etiam deinde manſit apud Grammaticos, ex quibus in Scholiis ſaepe conſenſus ſcripturae utriusque notatur [20]), alibi quid altera ab altera differat [21]), rarius ita, ut προέκδο-

19) Vide praeclarum Schol. e Didymo exc. ad κ. 397. Liber is haud dubie idem eſt, qui ad τ. 365. citatur, περὶ τῆς ἐπεκδοθείσης διορθώσεως, et haec fortaſſe vera inſcriptio.

20) Verbis αἱ Ἀριστάρχου, αἱ Ἀριστάρχειοι, ut α. 91. β. 221. γ. 292. ε. 808. ζ. 288. ι. 576. μ. 404. ρ. 681., pluribus locis, quos mox ad alios uſus laudabo.

21) Ibi eſt ἐν τῇ ἑτέρᾳ τῶν Ἀριστάρχου, alibi διχῶς, ſemel iterumque διήλλαττον αἱ Ἀριστάρχου. Vide ad β. 131. Catal. 24. 86. γ. 416. δ. 282. 527. ε. 132. 181. ζ. 113. 174. θ. 213. 405. ι. 653. 677. κ. 159. λ. 631. ν. 359. 627. ξ. 36. 67. 427. ο. 450. π. 430.

σις ab ἐπεκδόσει distinguatur [22]). Neque vero per se improbabile est, eandem rem fecisse Aristarchum, quam fecit Apollonius Rhodius et alii postea non pauci, scriptis suis iterum limandis et castigatioribus edendis. Quanquam, quum praecise id negasse videatur Ammonius, gravis auctor, fieri etiam illud potuit, ut vel ex adnotamentis exemplaris, heredibus relicti, vel ex libris Commentariorum, vel ex scholis, in quibus sententias suas secundis curis retractarit, concinnaretur recensio nova et passim diversa a priore, quam ipse publicaverat. Hae probabiles coniecturae sunt doctissimi Villoisonii [23]), quibus libenter acquiesco. Nec operae pretium puto haerere in eo, quod Ammonius iste vel Posidonius, familiaris et anagnostes Aristarchi, vel Ptolemaeus Ascalonita vel Didymus paucis verbis nos docerent, si exstarent, nobis autem, ut similia multa, cogitando et divinando ad liquidum perducere non licet.

Pergimus ad descriptionem recensionis Aristarcheae, in quantum illa ex tam paucis indiciis, ad-

σ. 579. ψ. 273. etc. Eodem i. e. ad alteram editionem Villoison. refert τὰς ἐξητασμένας Ἀριστάρχου η. 130. Ceterum fama haec de duplici exemplo Aristarchi nobis iam olim nota erat ex duobus Scholl. ad ι. 310. et 653. et ex Lipsicis: apud Eustathium eam non memini me legere.

[22]) Ut ad π. 613. τ. 386.

[23]) Prolegg. ad Il. p. XXVII.

hibita coniectura et animo in ista tempora converso, a nobis fieri poterit. Etsi enim, ut dixi, nullum veterum Criticorum melius cognoverimus Aristarcho, tamen, si non aliquot particulas sed universa corpora spectes, tam parum etiam in hoc pleni sunt fontes nostri, ut ne brevissimam quidem rhapsodiam Iliados ad mentem eius reconcinnare et restituere ex illis liceat. Habemus eius multas et egregias lectiones, partim vulgo receptas ab omnibus [24]), partim praeferendas his,

[24]) Locis innumeris, ubi id prorsus nescimus; aliis, in quibus, collatis omnibus instrumentis, tantum verisimile fit, Aristarcheam rationem in vulgato textu nostro esse; multis denique, in quibus rem nunc tandem comperimus. Verbi gr. β. 397. γένωνται (alii scribebant γένηται. v. p. CCVIII.) δ. 299. ἔλασσεν (al. ἔεργεν.) ε. 797. τείρετο (al. τρίβετο.) η. 213. βιβάς (alii βιβῶν, quod ipsum tamen ο. 307. tribuitur Aristarcho.) ι. 310. φρονέω (al. κρανέω.) μ. 30. ἐποίησεν (al. f. ἐποίησαν.) 142. ἐόντες (al. ἐόντας.) ν. 246. θεράπων ἐΰς (al. δουρίκλυτος. Ex illo, qui ante A. inepte scribebatur Θεραπωνεύς, sicut Ἐτεωνεύς, Harles. in Bibl. Fabr. nobis facit Grammaticum Eteoneum, ut Xenodocum ex Eustath. ad γ. 354.) 415. ἰόντα (al. f. ἐόντα.) 446. δή τι ἐΐσκομεν (al. δή τι σ' ἐΐσκ.) ξ. 40. πτῆξε (al. πῆξε.) 157. ut υ. 59. et alibi πολυπίδακος (al. πολυπιδάκου.) ο. 64. ἀνστήσει ὃν ἑταῖρον (al. ἀνστήσειεν ἑτ.) 187. τ' ἐκ Κρόνου (al. τε Κρόνου.) 621. αὐτήν (al. ἀκτήν.) π. 31. Αἰναρέτη (al. Αἰναρέτης.) 261. ἔχοντας (al. ἔχοντες.) ρ. 637. δεῦρ' ὁρόωντες (al. νῦν ὁρόωντες.) υ. 28. τέ μιν (al. τί μιν.)

quae receptae sunt [25]); videmus eum ex discrepantia plurium lectionum eam fere elegisse, quae Homerico ingenio et consuetudini ipsique loco optime conveniret; videmus multa ab eo erudite et sagaciter animadversa: sed quod primo loco quaerendum est, quid ille in summam Carminum

114., ut ο. 127., ἡ δ' ἄμυδις (al. ἣ δέ.) ψ. 18. ἀνδροφονοῦς (al. ἀνδροφόνου.) ω. 125. κλισίῃ (al. plur. κλισίῃς) 344. ἐθέλει (al. ἐθέλῃ.) 546. Τῶν (al. Τᾷ.) etc. Levia, fateor, sunt ista magnam partem, nec qualia a Bentleio Alexandrino exspectes, sed bona tamen et appositis scripturis merito praelata. Sumpsi autem haec, non elegi.

[25]) Hoc a me saepius factum est, modo constantiae causa, modo propter manifestam praestantiam earum. Ut δ. 235. ψευδέσσι pro ψευδέσσι i. e. ψευσταῖς p. ψεύδεσι. ι. 317. et ρ. 148. ἐπ' ἀνδράσι p. μετ' ἀνδράσι. λ. 40. ἀμφιστρεφέες p. ἀμφιστεφέες. 672. βοηλασίῃ p. βοηλασίῃς vel βοηλασίην. ξ. 235. ἰδέω. p. εἰδέω. ο. 114. δ' ἔπος ηὔδα p. δὲ προσηύδα. 450. ἱεμένων p. ἱεμένῳ, (quanquam etiam huic ineptae scripturae, hodie vulgatae, Aristarchi auctoritas additur, ex priore forsan editione.) ο. 24. θυμόν p. θυμός. π. 633. ὀρώρει p. ὄρωρεν. υ. 35. κέκασται p. κέκαστα. 77. μάλιστά ἑ. p. μάλιστά γε. ψ. 287. ἄγερθεν p. ἔγερθεν. Et sunt alia, in quibus admodum vereor, ne futuri sint multi, qui tarditatem meam mirentur. Ut β. 462. ἀγαλλέμενα p. ἀγαλλόμεναι. η. 420. ὠτρύνοντο (f. ὀτρύνοντο) νέκυς pro ὤτρυνον νέκυας. ι. 505. εὐχομένοιο p. εὐξαμένοιο. ξ. 173. κατά p. ποτί. τ. 95. Ζεύς p. Ζῆνα. φ. 587. οἱ καὶ p. οἵ κεν. ω. 241. ἐνόσασθε p. οὔνεσθε. etc.

novi induxerit, qua religione antiquos libros excusserit, quomodo usus sit Zenodoti, Aristophanis et ceterorum, quos supra nominavi, recensionibus [26]); haec et alia certis aut probabilibus argumentis hodie perspici nequeunt. Etenim ex quo Aristarchea ἀνάγνωσις facta erat παράδοσις, (*vulgata lectio*, *vulgatus textus* dici solet, et satis commode,) id quod mature factum videtur [27]), ad illam potissimum novae emendationes et notationes annexae et compositae sunt, omissis fere

[26]) Usum enim illis esse Aristarchum, et ipsa res et Scholia passim significant. In quorum uno et altero affertur aliquid de Zenodotea editione ex notationibus Aristarchi: ν. 808. ξ. 162.: alibi saepius is dicitur aliquam ex antiquioribus lectionibus προκρῖναι: ζ. 4. η. 127. ι. 212. υ. 138. φ. 265. etc. In primis v. ad ι. 222. De nostra tamen quaestione nunquam laborasse videntur veteres.

[27]) Huc spectant verba in Scholiis, ἐπείσθη ἡ παράδοσις Ἀριστάρχῳ, ut δ. 138. ε. 289. υ. 357., vel ἐπείσθησαν αὐτῷ οἱ Γραμματικοί, π. 415., vel ἐπεκράτησεν ἡ ἀνάγνωσις αὐτοῦ, α. 572. ε. 69. ζ. 150. η. 289. χ. 67., vel οὕτως ἔχει τὰ τῆς ἀναγνώσεως, λ. 651. ψ. 387. cf. Apollon. de Synt. II. p. 158. III. p. 222. Contrarium perraro notatur, οὐκ ἐπείσθη ἡ παράδοσις, ut φ. 162. ω. 316. etc. Iam audi insignem locum Etym. M. p. 815. Διαφέρει χρῆσις παραδόσεως· χρῆσις μὲν γὰρ λέγεται ἡ τῶν ἀρχαίων ποιημάτων μαρτυρία, παράδοσις δὲ ἡ τῶν Γραμματικῶν· οἷον, τὰ μὲν Ὁμήρου καλεῖται χρῆσις, τὰ δὲ Ἀριστάρχου τοῦ Γραμματικοῦ, παράδοσις. Et quidem κατ' ἐξοχήν.

primis auctoribus lectionum, nisi forte ubi illi inter se dissentirent. Isque mos servatus est a Grammaticis maxime, postquam ex Cratetis ac reliquorum Aristarchi adversariorum censuris et animadversionibus multae novae vel ex antiquioribus revocatae scripturae in *textum tum vulgatum* illatae erant; donec saec. III. aut IV. ex iisdem fontibus, denuo instituta recognitione, prodiit ea *recensio*, quam per omnes, qui nobis supersunt, libros scriptos similem in summis rebus atque unius exempli, *hodie vulgatam* usurpamus.

Quae quum ita sint, cavendum nobis erit, ne temere mediocria multa, quae ex Aristarchi textu afferuntur, pravae sollertiae emendantis imputemus [28]). Atque idem fortasse sentiendum erit de

28) A. 106. 108. εἶπας. 157. σκιόωντα. 241. τότε δ' οὔτι. 447. ἱερήν. 522. μή τι. β. 266. ἔκφυγε. γ. 352. δαμῆναι. 362. αὐτῇ. δ. 170. πότμον. 426. ἰόν. ε. 272. μήστωρε pro μήστωρι. 881. ὑπερφίαλον. ζ. 76. μάντις τ' οἰωνοπόλος τε. 288. Ἡ δ' εἰς οἶκον ἰοῦσα παρίστατο φωριαμοῖσιν. η. 73. δ' ἐν γὰρ ἔασιν. 240. δηΐων. 481. πιέμεναι. ι. 36. ἠμὲν νέοι ἠδὲ γέροντες p. ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες. 128. et alibi ἀμύμονας. (Zenod. ἀμύμονα. cf. Hesiod. Theog. 264.) 132. Κούρη Βρ. ἐπὶ δέ μ. ὁ. ὁμοῦμαι (propter construct. cf. Odyss. β. 120.) 322. πολεμίζειν, al. opinor πολεμίζων. κ. 341. Οὗτός τις. ν. 384. ἦλθ' ἐπαμύντωρ. ξ. 223. μέσῳ. ο. 252. ἵξεσθαι. 394. ἀκέσματ' ἔπασσε. σ. 506. ἀμοιβηδόν. φ. 126. ἐπαΐξαι. 265. οἰμήσειε. χ. 416. κηδόμενόν περ. 468. βάλε δέσματα. ψ. 361. δρόμους. Haec et similia *mediocria* dixi, quod non admodum mutant

omnibus ineptis et maximam partem iam olim reiectis lectionibus eius, quas ego quidem Zenodoto potius aut alicui priorum editorum quam Aristarcho assignaverim [29]). Nempe aliud est, retinere aliquid in textu, aliud, adsciscere primum vel ex coniectura reponere. Nemo autem ignorat, quam in hoc genere difficile sit, omnes maculas unum videre et eluere, praesertim in libro antiquitus depravato, et cum ipsis depravationibus saepe in imitationem tracto; idque aetate ea facere, quae gram-

sententiam, ceterum ferenda utique, si olim in omnibus libris fuissent. Nunc vero insunt quaedam illorum in vulg. textu nostro, quae me etiam poeniteat reliquisse, maxime illud μήστωρε ε. 272.

29) Etiam huius generis lectionum brevem indicem dabo: A. 434. ἀφέντες vel ἐφέντες. 518. Ἥρη nominat. γ. 326. ἑκάστου. 348. et ρ. 44. et alibi saepe οὐδ' ἔρρηξεν χαλκός. δ. 17. αὖ πως. ε. 874. δ' ἄνδρεσσι. η. 64. πόντον. 197. ἑλών. 304. εὔκμητῳ. θ. 109. κομείτην. 449. τοῖον. ι. 18. μέγας (cf. Didym. ad β, 111.) 66. φυλακτῆρας. 214. ἀπαείρας. 297. τιμήσωνται. 576. ψιλῆς. 601. τιμῆς genit. κ. 225. εἴπερ τι. λ. 72. ὑσμίνη — ἔχεν. 439. τέλος. ξ. 72. ὅτε. 202. με σφοῖσι. φ. 439. τέκεσσι. π. 638. Σαρπηδόνι δίῳ. 775. ὁ δὲ στροφάλιγγι, quod remansit adhuc Odyss. ω. 39. — ρ. 27. οὐδέ τε. 202. αἱ δή. 681. ἴδοιτο. σ. 485. ἐστεφάνωκε. υ. 228. ἄλλοτε. 255. πολλὰ τά τε καὶ οὐκί. φ. 252. μέλανός του (τινός. cf. ad ω. 315.) χ. 475. ἤμπνυτο. Plura in his quoque sunt manifesta menda scripturae.

grammaticam et criticam ἀκρίβειαν vixdum natam viderat.

XLVIII.

In tanta igitur obscuritate textus Aristarcho antiquioris valde est admirandum, vel tantillum adhuc reperiri in Scholiis, ex quo de virtutibus et vitiis principis Criticorum iudicare possimus [30]).

[30]) Deberi id puto maxime Dionysio Thraci, amantissimo Aristarchi discipulo, Parmenisco, Tryphoni et aliis Aristarcheis, qui in scriptis suis lectiones et interpretationes illius notaverant, unde congestae sunt deinde in corpora Scholiorum. Vide ad β. 111. Catal. 169. ε. 299. (cf. Eust. p. 556.) ϑ. 513. ι. 460. σ. 207. Ex istis et similibus scriptis nonnunquam ipsa verba Aristarchi legere videmur: ut ubi est φησὶν ὁ Ἀρίσταρχος, α. 554. β. 2. ι. 401. ο. 385. σ. 77. τ. 81. φ. 344. χ. 440. ψ. 523. 826. vel σεσημείωται Ἀρ., α. 219. Catal. 344. ν. 237. ο. 86. Ipsa autem opera Aristarchi, Ὑπομνήματα, τὰ πρὸς Φιλητᾶν, τὰ πρὸς Κομανόν, τὸ περὶ Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας, Scholiastae non habuerunt ante oculos integra, fortasse ne integram quidem *recensionem textus*. Vide α. 97. 423. 524. β. 111. 125. 355. 397. 420. 423. 435. Cat. 305. ι. 349. κ. 397. λ. 40. 391. ρ. 373. ω. 110. etc. In nonnullis horum locorum etiam Λέξεις Aristarcheae afferuntur, et multo plures in Lexico Apollonii, excerptae omnes ex illis libris et Commentariis eius, etsi per se vero non est absimile, propriam Aristarchi collectionem fuisse glossarum Homericarum. Conf. brev. Schol. ad Odyss. η. 24. ξ. 29. τ. 229. Etym. M. p. 509. 27. etc.

In virtutibus eius prima fuit acumen eximium, quo grammaticam rationem omnem, doctrinam accentuum et reliquam orthographiam ad leges constantis analogiae constituit. Quod quale meritum fuerit, illam, quam modo dixi, aetatem linguae et Zenodoteos errores recogitanti clarissime apparebit [31]). Quid quaeris? Ab Aristarcho maxime

[31]) Conf. p. CCVI. sqq. Nam errores, quos notis ibi perstrinxi, prope omnes correctorem habuerunt Aristarchum, etsi is raro nominatur ab iis, qui decreta eius secuti sunt, ut apparet ex Apollonio Alex., Herodiano, aliis. Sed v. in primis Scholl. ad β. 397. δ. 400. ζ. 434. κ. 408. λ. 128. ν. 617. ξ. 1. (cf. ad Apollon. Rh. I, 299.) 208. etc. Ad prosodiam s. accentus pertinent ea, quae leguntur ad α. 214. 396. β. 262. Catal. 99. γ. 20. 128. 344. δ. 138. 308. ε. 269. 656. ζ. 239. 244. 422. 518. η. 240. 355. ι. 150. 236. κ. 242. λ. 239. 270. 454. 480. 495. 676. μ. 20. 55. 158. 193. 201. 337. ν. 103. 191. 543. ξ. 38. 396. 463. ο. 10. 302. 320. 365. π. 123. 185. 211. 324. 422. 542. 548. 558. 827. σ. 352. τ. 359. υ. 53. 357. φ. 110. 331. χ. 67. ω. 84. 134. 228. 235. 247. 566. in quibus bona fundamenta sunt accuratioris prosodiae. Adde pauca de anastrophe, ad β. 150. Cat. 30. 346. 384. γ. 240. δ. 94. σ. 191. Etiam in orthographia, quae proprie dicitur, Aristarcho debemus plurima, iam olim vulgo accepta: ut quod coniunctim scribuntur παλιμπλαγχθείς, παλινορμένος, ἐπίηρα, Κηρεσσιφόρητος, ὀνομάκλυτος, non πάλιν πλαγχθείς etc., α. 59. 572. ε. 178. ϑ. 527. ι. 147. λ. 326. χ. 51. cf. Hymn. in Ven. 111. 147., contra disiunctim, καὶ κεῖνος, καὶ κεῖθι, non κἀκεῖνος etc. γ. 402.

repetenda ſunt *initia omnis ſubtilitatis grammaticae*, incognitae antea optimis ſcriptoribus, nec ab ipſo Ariſtophane ſatis accurate inveſtigatae. Neque vero in gravioribus tantum partibus Grammatices aliquid relictum erat Ariſtarcho, ſed etiam in leviſſimis quibusdam, ut in formarum diſcriminibus ad certam regulam revocandis [32]): quae quum

ζ. 200. etc., quod conſonantes paſſim non geminantur in codd., qua de re nuper dixi in Praef. ad Odyſſ. Vide Scholl. Apollon. Rh. I, 769. III, 37. et noſtra ad ε. 203. ϑ. 423. ι. 154. 299. 570. κ. 258. μ. 26. ο. 31. etc. Eodem pertinet quodammodo, quod, ubicunque per metrum licebat, veteris Ioniſmi cauſa verba truncavit augmentis ſuis, ſcripſitque non πόλλ' ἔπαθον καὶ πόλλ' ἐμόγησα, ſed πολλὰ πάθον καὶ πόλλα μόγησα, σπλάγχνα πάσαντο, ἄλγεα θῆκεν, Γλαῦκος τίκτε, ἔχθαιρε, ἕλκε, item νέρθε, κεῖνος, non ἔνερθε etc. α. 598. ζ. 157. ι. 488. ο. 94. π. 648. et alibi ſaepiſſime; interdum adeo cum incommodo aliquo numerorum. Denique alia iſtius grammatici generis v. ad α. 363. δ. 245. 410. ε. 746. ζ. 432. ϑ. 296. (ψ. 273.) 441. κ. 332. 513. λ. 441. μ. 318. ν. 103. ο. 240. π. 379. ρ. 20. 95. 688. τ. 27. φ. 573. χ. 431. ω. 8. 331. ex quibus omnibus apparet, in quam minutulis quaeſtionibus illa aetas haeſerit. Sed mittenda ſunt haec et plura, de quibus in his anguſtiis, quibus urgemur, monere non licet.

[32]) Vix hoc ſuſpicabamur antea: nunc ex Scholl. rem clare perſpicimus. Nam quod nusquam in Hom. θέλω, στεναχέω legimus, pro ἐθέλω, στενάχω, nusquam ἤδυμος pro νήδυμος (Hymnum in Merc. nemo curabat; neque omnino ullus doctorum Intpp. Ale-

poſt illum ita pervulgata facta ſint, ut cum ipſo Graeco ſermone nata videantur, ſuppares et poſteriores poëtae arguunt, vulgo non obſervata neque in conſtanti uſu fuiſſe. Ac fuerunt olim haud dubie, qui putarent, in priſco poëta anomala quaedam iſtiusmodi ferenda eſſe, nec indigna repetitu, quae ille ad praecepta ſua rigide mutaverat. Sed obſcurius eſt hoc totum genus rerum, quam ut hoc loco illuſtrari queat [33]).

xandrinorum iſta Carmina ingenio Homeri tribuit:) quod nonnulla etiam praeter legem proportionis declinantur, ut Κάλχαν, Θόαν, Πουλυδάμα, α. 86. β. 1. μ. 231. ν. 222. ρ. 688., id cum ſimilibus multis Ariſtarchei iudicii putandum eſt.

[33]) Unam rem breviter attingam, formas et poteſtates pronominum ab Ariſtarcho accuratius conſtitutas. Nam hoc quoque ad eum referendum eſt, quod σφῶε a σφῶϊ, ἑοῦ ab ἕο diſtinguitur, quod σφίν, σφός, σφέτερος communi uſu de pluribus uſurpatur in tertia perſona, ἑός de uno etc. Cf. Scholl. ad α. 216. κ. 546. λ. 142. Apollon. II. p. 159. 169. alibi paſſim. Nimirum ea, quae leni correctione in poëtis mutari poterant, mutavit ille; quae autem tali correctioni repugnabant, pro interpolatis habuit, ut κ. 397 — 399. propter illud μετὰ σφίσιν, *inter vos*. Sed hac poteſtate pronominis huius offenſus non videtur Apollon. Rh., quum eandem formam poſuerit etiam in 1 perſona de pluribus II, 1277. Ita lapſa ſub Caeſaribus graecitas accuſativos σφᾶς αὐτούς vel in proſa ad 1 perſonam revocavit; ne quid dicam de vetuſto auctore Argonaut. Orphic., cui σφίν ferme inſtar eſt Protei. — Σφέτερος porro eſt

At brevius etiam dicendus nobis Ariſtarchus interpres. De quo tamen ut nihil ſciamus, niſi

veſter in Prooem. Ἔργ. Heſiod., quod prooemium ut incerti ſit auctoris, vetuſtatem tamen redolet minime ſpernendam. Verum eam inſolentiam non ſine nota dimiſerunt veteres magiſtri, de ſententia Ariſtarchi, opinor: at imitati eam ſunt poëta in Theocriteis XXII, 67., Apollon. IV, 1327., Quintus Smyrn. et alii. Quid? quod poëta in Theocr. XXV, 163. idem pronomen poſuit pro ἐμός. Quod exemplum quum nunc unicum ſit, certatim id mirantur docti, etſi minus diſplicet illis σφέτερος de uno in 3 perſ. uſurpatum ap. Heſiod. Sc. H. 90., Pindarum aliosque, atque iſta inſolentia forſan ſic defendi poſſit, ut, quoniam ἡμέτερος ab optimo quoque ponitur pro ἐμός, et rurſus σφέτερος ſeu σφός p. ἡμέτερος, ut ab Orpheo et Apollonio Rh., ab hac analogia progreſſus videatur illius Carminis auctor ad uſum ſuum, ſi modo id fecit primus. — Simillime Graeci torſerunt pronomen 3 perſonae ſing. ἑός, ut id quoque in omnes perſonas utriusque numeri adſciverint. De prima ſingularis exemplum ſupereſt in Odyſſ. ν. 320., notatum ab Ariſtarcheis, ut ſuſpicor, certe ab Apollon. Alex. III. p. 197. Attamen hunc quoque uſum in cultiſſima Carmina ſua transtulerunt Apollon. Rh. IV, 1015. et Moſchus IV, 77. De ſecunda perſona ſingularis nunc unum exemplum praebet Odyſſ. α. 402., aliud, neque id plane certum, Heſiod. Ἔργ. 381., ſed plura Batrachomyomachia et poſterioris aetatis Epici. Excepiſſe autem Ariſtarchus videtur anomalam formam ἑῆος, quam olim male confundebam cum ἑῆος, genitivo adiectivi ἐύς, de quo tamen ne nunc quidem ſatis certus

quod allegoricam rationem interpretandi improbavit, et doctrinam Homeri anguſtioribus finibus incluſit, de ipſius ſobrio iudicio bene exiſtimandum ſit [34]). Atque omnino hac ingenii vi eum valuiſſe,

ſum ſententiae, praeſertim inſpecto Apollonio Alex. p. 157. — In 3 perſ. plur. ἑός legitur ſemel in Heſiod. Ἔργ. 58., bis in Batrachom., ſaepius ap. Alexandrinos, etiam ap. Hom. vulgo Il. λ. 76., ſed equidem id mutavi conſtantiae cauſa. Atque ita Epici quidam id pronomen etiam in 1 et 2 perſ. plur. traxerunt. Iam cum illis vſſ. Il. κ. 311. 398. et Odyſſ. α. 117. 402. confer Apollon. Rh. IV, 1327. 1353., et auctorem Δολωνείας haud male locutum ſenties; neque releganda omnia putabis ad barbariſmos et ſoloeciſmos, quae Ariſtarchus compunxerat. Abuſus vero analogiae ille in poſſeſſivis pronominibus tanto facilior fuit, ſi ea ad obſcuram notionem τοῦ ἰδίου referebant, uti Grammatici faciunt. Vide Tzetz. ad Heſiod. Ἔργ. 152. Canteri Nov. Lectt. V, 13. Brunck. ad Aeſchyl. Prom. 9. Alteri Praef. ad Odyſſ. p. 41. ſqq.

34) Hoc poſterius ex Strab. I. p. 31. ſimilibusque veſtigiis colligo. Quae autem in Scholl. ad interpretationem ſpectant, paene omnia minus gravia ſunt, multa adeo in facilibus gloſſis occupata. Vide ad β. 271. Cat. 316. quod ſaepiſſime repetitur. δ. 343. (cf. Apollon. Alex. II. p. 166.) ι. 90. κ. 351. λ. 631. ſqq. μ. 258. ν. 82. 564. ξ. 216. π. 59. σ. 570. υ. 357. φ. 319. 344. ψ. 265. 387. 638. 826. 870. ω. 315. 316. etc. Aeſthetica, quae vocantur, in illis inſunt perpauca, ut ad π. 170. (ubi diſſentit a Thuc.) et χ. 468. De Ariſtarchi explicatione voca-

indeque etiam, ut fit, quaedam vitia eius manaviſſe, multis argumentis intelligitur. Nam et grammaticam diligentiam ieiunius, quam neceſſe erat, quaeſivit, et audaciores generoſioresque ſententias poëtae corrupit non raro, quo eas propius ad naturam et veritatem reduceret. Paucas quidem eius emendationes et coniecturas in Homero et Pindaro certo cognovimus; nec tamen in hoc numero deſunt ſpecimina ψυχρολογίας, in emendatore poëtae nequaquam ferendae [35]. Quocirca

bulorum alibi ex induſtria agendum erit, adhibito Heſychio, Etymol. M. et ceteris Lexicographis, qui illius Commentarios ſtudioſe compilarunt.

[35]) Non quidem plus ter aut quater illius correctiones afferuntur ita, ut *coniecturas* eſſe liquido conſtet, v. c. ad ϑ. 235. Ἧττον ἂν φησιν Ἀρίσταρχος ὀνειδίστικον εἶναι, εἴπερ οὕτως ἐγέγραπτο, Ἕκτορος ᾧ δὴ κῦδος Ὀλύμπιος αὐτὸς ὀπάζει, et ad π. 636. Ἄμεινον ἂν εἶχε, φησὶν ὁ Ἀρίσταρχος, εἰ ἐγέγραπτο, βοῶν εὖ ποιητάων, ſine copula, quam etiam Euſtath. non agnoſcit. Sed errare mihi non videor, ſi huic generi has quoque emendationes annumero. Θ. 233. iactant Graeci inter pocula, unumquemque ſuae gentis ſolum cum 100 vel 200 Troianis *congreſſurum eſſe in proelio.* Nam hunc ſenſum habent verba, ἄνθ' ἑκατόν τε διηκοσίων τε, i. e. ἄντα adverb. pro quo ſaepe ἀντίον ſ. ἀντία dicitur. Sed haec Ariſtarcho nimia videbatur iactantia, vel in ebriis, ſoloque tenore abiecto correxit, leniter ſcilicet, ἀνθ', i. e. ἀντί praepoſ., ut modeſtius minarentur, verbo tenus, *unumquemque 200 Troianorum fortitudinem aequaturum,* ἰσοβαρῆ ἕκαστον γενήσεσθαι ἑκατὸν ἢ διακοσίων. Hic et multis aliis locis ex Schol. lucem accipit Apollon. Lex. v. ἀντί. Ο. 417. pluralis νῆας displicuit Ariſtarcho, quia modo dictum eſſet, Τὼ δὲ μιῆς περὶ νηὸς ἔχον πόνον; ideo ſcripſit νῆα. Ω. 636. eidem verbum ταρπώμεθα male convenire videbatur fortunae Priami, correxitque παυσώμεθα, quod deinde receptum eſt a multis. At nullum eius acumen frigidius eſt, quam illud, exploſum ab ipſo Euſtathio, ε. 860. et ξ. 148., ubi Martem et Neptunum non ut ἐννεαχίλους ἢ δεκαχίλους vociferari volebat, ſed ut ἐννεαχείλους ἢ δεκαχείλους. Cui coniecturae ſimillima eſt iſta in Pind. Pyth. III, 76., ubi ſaltus, ab Apolline facti, granditatem horrens, pro βάματι ἐν πρώτῳ correxit βάματι ἐν τριτάτῳ. Praetermitto alios verſus multos, in quibus minutiores ratiunculas ſequitur, ut quum β. 415. et ι. 242. praefert πλῆσαι, γ. 406. ἀπόειπε κελεύθου, δ. 260. κρητῆρι, 456. πόνος, ι. 19. τότε, 401. ἐμαί, μ. 161. βαλλομένων, ψ. 306. ἐδίδαξεν etc.

ſi ex illis exemplis ſolis ſpectandum nobis eſſet Critici huius ingenium, locus eſſet mirandi, quid ei unquam apud doctos homines tantam nominis gloriam confeciſſet. Neque vero res ex totidem bonis coniecturis illius intelligi ſatis poteſt, quippe quum earum, quae traduntur, nulla eo emineat acumine, quod in felicioribus noſtri temporis Criticis admiramur [36]. Quare fateamur ingenue,

[36]) Longa opus ſit inductione exemplorum, ut illud plane probem lectoribus. Ergo, ut praecidam, nec anticipem ea, quae locum poſcent in proprio Commentario, coniecturam afferam unam omnium, quae Ariſtarcho tribuuntur, ſcitiſſimam et elegantiſſimam,

quidquid undique corraſeris, non tamen eam vim habere, ut Ariſtarchi merita in Homerum explorate, et noſtro potius quam veterum iudicio ad verum revocemus.

XLIX.

Eadem fortuna conquerenda nobis eſt in iis, quae ad celeberrimum *obelum* Ariſtarchi pertinent. Illo enim armatum eum ſeveriſſime omnium munere ſuae artis functum, talique ſigno uſum eſſe ad verſus poëtae ſplendore indignos, ſive, ut olim loquebantur, παρεμβεβλημένους confodiendos, univerſa antiquitas teſtatur. Atque ii quidem veterum ſcriptorum, qui hanc rem paullo attingunt diligentius, non ambigue ſignificant, obelum ab Ariſtarcho *primo* ad notationem iſtius generis adhibitum [37]); niſi forte putas, ſimiles ſuperiorum Criticorum notas obſcuratas et oblitteratas eſſe Ariſtarcheis. Quod ut facillime concedo, ne inepte pertinax ſim in re obſcura, ita minime dubitandum arbitror, quin obeli frequentiſſimus et technicus uſus auctoritati Ariſtarchi tribuendus ſit. Nam etſi et Zenodotus et Ariſtophanes ſaepius dicuntur aliquid ἀθετῆσαι, et prior etiam infamiam inde cepit maximam, horum tamen neutri illud ſignum ἀθετήσεως plane tribuitur ab ullo ſcriptore, excepto uno loco, quem propter aliam quoque cauſam pro mendoſo habeo [38]). In primis vero haec ratio firmatur eo, quod plures Grammaticos adverſus obelum Ariſtarchi potiſſimum ſcripſiſſe reperimus, non adverſus Zenodoteum aut Ariſtophaneum [39]).

in σ. 207. Ibi quum et ipſe in textu vulgatam ſcripturam noſtram dediſſet, mox vel in ſcholis vel in ὑπομνήμασι verſum correxiſſe ſic dicitur:

Ὡς δ᾽ ὅτε πῦρ ἐπὶ πόντον ἀριπρεπὲς αἰθέρ᾽ ἵκηται.

Ita *ignem* dedit pro *fumo;* et quis non eum ineptiſſimum diceret, qui, ſi hic verſus vulgo lectus eſſet, ab antiquo fictus rhapſodo, alterum, qui nunc legitur, nobis offerret? Criſeos hoc ſpecimen ſit, quod doceat ſimul, quam reverens ille fuerit codicum ſuorum, quam interdum haud lenis corrector.

37) Ne repetam paullo ante memoratos, ſufficiat duo teſtes dare, Galenum in Hippocr. de Nat. hom. 2. T. V. p. 17. Σημεῖον, ὃ καλοῦσιν ὀβελόν, οἵῳ σημείῳ καὶ Ἀρίσταρχος ἐχρήσατο πρὸς τοὺς ὑποπτευομένους ὑπ᾽ αὐτοῦ στίχους, Lucianum pro Imagg. 24. T. II. p. 504. Ὁ τὰ νόθα ἐπισημηνάμενος τῶν ἐπῶν τῇ παραγραφῇ τῶν ὀβελῶν. Hic ne nominatim quidem appellatur, qui illud fecerit: adeo fuit res celebris. Ceterum de hoc et reliquis ſignis criticis in univerſum erudite poſt alios multos diſſerentem vide Villoiſ. Prolegg. p. XIII. ſqq.

38) In Fragm. Annotationis, praepoſito olim codici Ven., quod editum eſt in Bibl. Goetting. vett. litt. I. p. 69. Τὸν ὀβελὸν ἐλάβομεν ἐκ τῆς Ζηνοδότου διορθώσεως. Etiam quae ibi ſequuntur de duobus vſſ. ἀθετουμένοις, pertinent, ſi quid iudico, ad Ariſtarchum, non ad Zenodotum.

39) Ut Zenodotum minorem in libro πρὸς τὰ ὑπ᾽ Ἀριστάρχου ἀθετούμενα τοῦ ποιητοῦ, item ſupra me-

Iam de re ipſa nemo exſpectabit ut pluribus demonſtrem, obelum ab Ariſtarcho non tam iis verſibus eſſe praepoſitum, quos crederet Homeri non eſſe, quam his omnibus, qui ei viderentur digni reprehenſione minusque digni loco ſuo vel abſolutiſſima arte principis poëtarum. Ac mihi quidem hic poſterior uſus obeli videtur tempore primus et ſignificatione maxime proprius fuiſſe. Quanquam enim vir ille cum doctiſſimo quoque aequalium cognoverat, verſus παρεμβεβλημένους in priſcis vatibus legi quam plurimos, et interpolationis huius fontes prope una cum Carminibus ipſis prorupiſſe, tamen non, quid cecinerit Homerus, ſed quid canere debuerit, ſpectare debuit emendaturus. Nam ſi ex iis, quae hactenus dicta ſunt, capienda ſpecies eſt veterum codicum, quos ille adhibuerit, ii in Iliade et Odyſſea inter ſe

moratum Calliſtratum, Demetrium Ixionem, Pium, alios, ἀπολογουμένους πρὸς τὰς ἀθετήσεις (Ἀριστάρχου puta) ſeu πρὸς τοὺς στίχους ἠθετημένους; fortaſſe etiam Cleanthem, nobilem Stoicum, ἐν τῷ πρὸς Ἀρίσταρχον. Vide Diog. Laert. VII, 174. Scholl. ad α. 424. ζ. 437. μ. 175. Serv. ad Virg. Aen. V, 735., quo loco *Pius*, *Homeri commentator*, qui in Scholl. etiam ε. 638. λ. 100. φ. 55. 147. 293. laudatur, dicit deſcriptionem Elyſii ſive potius inſularum fortunatarum, quas Salluſtius ſcripſerat inclutas eſſe Homeri Carminibus, ſublatam eſſe i. e. ἐξῃρημένην. Putabam aliquando, id pertinere ad Odyſſ. δ. 565 — 569. Nunc opinor, locum non eſſe in Homero noſtro.

haud minus disſenſerunt, qua conformatione et toto habitu ſingularum partium, qua numero verſuum, quam codices Batrachomyomachiae hoc ſaeculo congeſti, cum vulgari textu. Hos excute, quaeſo, et experire, an poëmatium extundere ex iis poſſis, quale fuerit primum! Tum etiam illud cogitemus, iuveniliter ludenti populo, quantumvis acuto, contingere non ſolere coniunctam iudicii ſubtilitatem cum divina ingenii vi ac ſpiritu [40]), ubique vates fuiſſe ingenioſos ante artem ſollertius percultam, atque adeo plurimum polluiſſe ſine illa. Nolo Homerum i. e. antiqua Carmina Ionum comparare cum Oſſiani Carminibus Celticis, quae tamen nec unius aetatis nec genuina nobis tradita eſſe puto: ſed de Arioſto et Shakeſpeario nemo ita ſenſerit, ut eos cum ingenio et arte Homeri comparandos neget. At nonne in his multa ſunt, quae Leſſingius, Wielandus, Voſſius mutanda et recidenda putarent, ſi criticam facere vellent ad Graecorum morem? Quid? ſi diverſos illorum poëtarum et discrepantes codices haberemus, nonne id vel ſummam modeſtiam aevi noſtri ad Graecam audaciam invitaret? Quid adeo? ſi e discordibus teſtimoniis cantorum et librariorum Ariſtarchus ne potuerat quidem, quamvis voluiſſet, eoque unice animum intendiſſet, germanum et, ut

[40]) Longe alia aetas producit ſcriptores, pari excellentes ingenio et arte, eosque, qui, *nihil peccant, niſi quod nihil peccant*, ut apte Plin. ait Epp. IV, 26.

ita dicam, primigenium ἀοιδὸν reducere; quandoquidem, quid inter hunc et egregium rhapſodum, atque rurſus, quid inter rhapſodum mediocri ingenio et Homerum dormitantem ſubinde et ſuo abutentem ingenio intereſſet, nulla hominis ſagacitate dignoſci potuit.

Sic denique apparet, quam anceps conditio rei fuerit tum, quum Ariſtarchus Homero ſummam manum imponeret. Videlicet hunc Criticum *abſolviſſe demum hanc politam et concinnam* διασκευὴν Ὁμηρικήν, *in qua nec medium primo, nec imum discrepat medio*, eundemque fortaſſe haec opera duo in has, quae nunc numerantur, rhapſodias diviſiſſe, Commentatoribus et Grammaticis Homericis facile credimus [41]). Quamobrem, ſi de univerſa facie et habitu Carminum quaerimus, non eſt du-

[41]) Vet. Grammat. de poëſi Hom. 2. Εἰσὶν αὐτῷ ποιήσεις δύο, Ἰλιὰς καὶ Ὀδύσσεια, διῃρημένη ἑκατέρα εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν στοιχείων, οὐχ ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ποιητοῦ, ἀλλ' ὑπὸ τῶν Γραμματικῶν τῶν περὶ Ἀρίσταρχον. Cf. Euſtath. p. 5. extr. et Ienſii Lucubratt. Heſych. p. 284. Similiter fecerunt Grammatici Graeci in Herodoto et Thucydide, multisque aliis; mox Latini, tanquam Octavius Lampadio in Naevii Bello Punico. De reliquo, quod Ariſtarchum *huius* διασκευῆς *noſtrae confectorem* appello, cur ita credam, alio volumine explicabo. Eſt illud paullo diverſum a quaeſtione *de auctore recenſionis noſtrae*. Quanquam nec haec quaeſtio pertractari hic poteſt, ut debet.

bium, quin recte divinarit Giphanius, *vulgatam noſtram recenſionem eſſe ipſam Ariſtarcheam*. Melius hoc diiudicabitur, ſaltem iuſtae tractationi huius quaeſtionis proludetur per ea, quae nunc additurus ſum de ἀθετήσεσιν atque lituris illius.

Multum enim differt inter obelum ſive ἀθέτησιν, quae vere dicitur, et inter lituram. Ariſtarchum autem in correctionibus ſuis non ubique iſta nota uſum, ſed plura etiam funditus ſuſtuliſſe ac deleviſſe, tum mos priorum Technicorum credibile facit [42]), tum Ammonii clare docet auctoritas [43]). Quo discrimine fecerit utrumque, incompertum habemus. Litura ſeu falce eum uſum credas in iis verſibus, quos vel nimis luxurioſos iudicaret, vel modis et numeris Homericis abſonos, vel contrarios ſententiae ſermonisve Graeci legi-

[42]) Vide ſupra p. CCI. et CCXXIII.

[43]) Schol. ad κ. 397 — 399. Ἀμμώνιος ὁ Ἀρισταρχεῖος πρῶτον μὲν στιγμαῖς (i. e. obelis) φησὶ τὸν Ἀρίσταρχον παρασημειώσασθαι αὐτούς, εἶτα τέλεον ἐξελεῖν, τάχα διὰ τὸ ἐπὶ δευτέρου προσώπου τὸ σφίσι τετάχθαι, καὶ ἄνωθεν μετενηνέχθαι. Ex ſimili fonte derivatum videtur id, quod ad ε. 808. legitur: οὐ καθόλου εὑρέθη παρὰ Ἀριστάρχῳ τὸ Ῥηϊδίως κ. τ. λ. Quem verſum, ineptiſſimo loco repetitum ex δ. 390., ibidem diſcimus, appoſitum eſſe a Zenodoto; an ab hoc uno et primo, non conſtat. Ad idem genus liturae ſpectat fortaſſe verbum ἐκκρίνειν in praeclara nota Ariſtonici ad θ. 535. Ἐγκρίνει δὲ μᾶλλον ὁ Ἀρίσταρχος τοὺς δευτέρους. (vſſ. 535 — 537.).

bus, aut quos in optimis exemplaribus non reperiſſet [44]); virgula, modeſto ſigno, in iis, qui ei

[44]) Iſidor. Origg. I, 20. *Obelus apponitur verbis aut ſententiis ſuperflue iteratis.* Huc pertinent *recidenda ambitioſa ornamenta* ap. Hor. At gravior locus eſt Apollon. de Synt. I, 11., ubi poſtquam monuit de abundantibus litteris, ſyllabis et dictionibus (λέξεσιν), addit, interdum etiam in tota oratione eſſe aliquid ſupervacaneum, ΚΑΙ ΛΟΓΟΥΣ ποτὲ παρέλκειν, πρὸς οὐδὲν συντείνοντας· εἴγε πλείους ἀθετήσεις Ἀριστάρχου διὰ τοὺς τοιούτους τρόπους ἐγένοντο. Haec plenam lucem exſpectabant ex Scholiis Venetis. Ut σ. 39 — 49., *longus recenſus Nereidum*, confluentium ad plorantem Thetidem, quem recenſum et ab Argolico exemplo abfuiſſe Calliſtratus prodiderat, a Zenodoto primum, tum ab Ariſtarcho nimius putabatur (*ambitioſum ornamentum*) et ἠθετεῖτο, ὡς Ἡσιόδειον ἔχων χαρακτῆρα κ. τ. λ. Ubi obiter vides, ſpectari Theogoniam, tanquam genuinum Carmen vatis Aſcraei. Manſit tamen hic locus in textu Ariſtarchi, unde eum in imitationem ſuam traxit Virgilius. Nam ab illo Critico pendebant Latini omnes. Ita Ciceroni Epp. ad Famil. X, 13. et Straboni I. p. 17. non excidiſſet illud de Ὀδυσσῆϊ πτολιπόρθῳ, niſi pueri in ſcholis audiſſent, Ariſtarchum ἠθετηκέναι verſus prope omnes, qui nunc Ἀχιλλῆα πτολίπορθον habent. Quo nos probabili ratione ducunt Scholia ad θ. 371. et prox., tum ad ο. 56 — 77., obelo notatos propter τὰ ἐκεῖ οὐκ ἀναγκαίως παλιλλογούμενα, et alias cauſas, in quibus haec extrema eſt: Φησὶν ὁ Ἀρίσταρχος, ὅτι οὐδαμῆ τὸν Ἀχιλλέα πτολίπορθον εἴρηκεν, ἀλλὰ ποδάρκη καὶ ποδώκη.

ob minora vitia viderentur indigni poëta, at tolerabiles tamen. Sed coniectura haec eſt admodum parvi momenti in illa infantia artis. Quocirca rem tenere ſatius erit, et argumentis pluribus confirmare, eum non tantum notandis naevis, verum etiam urendo, amputando, luxata, quae quidem putabat, ſuis locis reponendo, Homericum corpus curaviſſe. Ac primum quis exiſtimet, verſus eos, quos Euſtathius et Scholiaſtae paſſim ex aliis recenſionibus addunt, poſteriores omnes eſſe Ariſtarcho [45])? ne quid dicam de his, quos vulgares li-

Neque Ariſtarchus, ut ſuſpicor, id epitheton putavit convenire Achilli, qui bellum Troianum non confecerit. Ignorabat ergo aut ſpernebat veriorem interpr. ap. Euſtath. p. 91. 220. At etiam φ. 550. Achilles πτολίπορθος eſt. Ibi mire Schol. Ὅτι πλεονάζει ἐπ' Ὀδυσσέως τὸ πτολίπορθος· νῦν δὲ ἅπαξ ἐπ' Ἀχιλλέως. Ἡ διπλῆ πρὸς τοὺς χωρίζοντας· τούτοις γὰρ χρῶνται. Τινὲς δὲ Ἀχιλλέα Πηλείωνα ποιοῦσι (corrigunt) ξενισθέντες πρὸς τὸ ἐπίθετον. His igitur, qui ita ſentiebant, idem faciendum fuit in ω. 108. et fortaſſe Catal. 235. (728.) et υ. 384.

[45]) Sunt adeo in illis vſſ. nonnulli, quos rhapſodis eadem ſpecie veri tribuas, vel maiore, quam aliis auctoribus. Ut quatuor hos ap. Euſt., quorum Ruhnken. meminit ad Hymn. in Cer. 108., iniectos poſt ν. 433., et duos poſt ο. 30., Heſiodicis Theog. 498. et aliis fabulis ſatis ſimiles; tum miſerrimos tres poſt Odyſſ. λ. 438., quos ſervavit Schol. Euripid. Plures huius notae, vel ſola fide diobolarium codicum, adſcivit Barneſius, priores quidem in ν. et ο. etiam

brarii nostro textui inculcant. Nam quid illos afferam, qui apud Hippocratem, Platonem, Stra-

Daceria, librariorum totos versus omittentium negligentiam querens et prava iudicia Criticorum. Recte utrumque: nisi sub unum adspectum posita indicia rerum aliorsum flecterent animum suspicacem. Iam vellem audire, quid docta mulier iudicatura fuisset, si omnes olim a Criticis reiectae interpolationes nunc essent in textu. At quaerebat ea *poëtam integrum*, quem nos requirimus. Quod autem librarios culpat, quos dicit? quorum temporum? Nam illae omissiones multo sunt vetustiores librariis nostrarum membranarum, quarum nulla dum, etsi undique contractae sunt, ne unum quidem versum protulit novum, quem in recensione Aristarchi fuisse locuples testis confirmat, licet additi versus partim boni sint, partim tolerabiles. Nam addendo interdum non infeliciter luserunt, perinde ut saepius peccarunt omittendo, singuli in singulis; non omnes de compacto. Ita versus, quem Barn. ex Grammatico infimi aevi (Herodoto de Vita Hom.) post 153. κ. Odysseae inseruit, omissus videri potest in codd. omnibus ob principii similitudinem cum proximo; qui error frequentissimus est in ὁμοιοτελεύτοις, maxime in codd. Vindobb. Barnesium tamen probabiliter reprehendunt Clark. et Wesseling. p. 756. At vero istum versum a nullo veterum ibi lectum esse, teste vincam tota cohorte Grammaticorum, qui constanter et uno ore praecipiunt de figura ἐπαναλήψεως s. παλιλλογίας: Ὅτι ἐν Ἰλιάδι συνεχῶς ταῖς ἐπαναλήψεσι κέχρηται, ἔν τε Ὀδυσσείᾳ ἅπαξ, α. 23. Αἰθίοπας — v. Schol. et Eust. ad Il. ζ. 154. υ. 372. etc. Notarunt hoc quo-

bonem, alios leguntur, tanquam olim lecti in ordine [46])? Atqui horum versuum omnia vestigia

que Intpp. in Aristarcheo Homero versati Masorethica cura, notarunt hoc, inquam, ni fallor, propter τοὺς χωρίζοντας, qui non spernebant argumenta talia, quum graviora suppeterent. Ceterum nemo videat, cur Barn. versum habuerit *necessarium ob oeconomiam*. An, ut iterato Phemii nomine poëta nos mature adducat ad misericordiam cantoris, quem imperiis procorum coactum cecinisse dicit? Scilicet, ἵνα σωθῇ ἐν τῇ Μνηστηροφονίᾳ, ut ait br. Schol. Hem oeconomiam poëtae et nasos Graeculorum!

46) Certe ex recognitione vel potius ex fabrica Callisthenis, quem supra cum Aristotele iunximus, laudatur versus a Strab. XII. p. 542. (817.) in Catalogo post 362. (855.) διεσκευασμένος, ut arbitror, *oeconomiae causa*, ne Cicones abessent, memorati κ. 429. et υ. 329. Ac sane eum populum omitti mirabantur posthac Intpp. Sed qui poterant omnes quaestiones solvere, hunc scrupulum leviter evellebant, aut callide occultabant. Vide Scholl. ad ll. cc. et Eust. p. 359. Etiam antiquior esse videtur alius versus ap. Strab. XIII. p. 626. (929.) additus eidem Catal. post v. 373. (866.). Quem enim Strabo προσγεγραμμένον dicit ὑπό τινων, eum Eustath. p. 366. ex Scholiis suis, hic quidem plenioribus, ad recensionem Euripidis (τὴν κατ' Εὐριπίδην ἔκδοσιν) refert. Atqui hic Euripides haud dubie is est, quem tetigi p. CLXXXV. An denique illi versus, qui a Megarensibus in celebri contentione fraudi Solonis opponebantur pro Catal. 65. (558.) ap. Strab. IX. p. 394. (604.) unquam venerint in scripta exemplaria, dubitari fortasse licet. Sed quod eos hodie

deleta sunt in doctissimis Scholiis et ad Aristarchi maxime recensionem adornatis. Agedum porro, Plutarchi evolve locum, ubi docet, quatuor versus in Phoenicis oratione ab Aristarcho sublatos esse et restituendos [47]): ne hi quidem in Eustathio aut Scholiis nostris memorantur. Iam convocatis cunctis, qui coniectores perhibentur et interpretes priscae vetustatis et famae sepultae, si verum amas, consulta nobiscum, utrum is, qui tot versus, forte casuque ad nostram aetatem delatos, loco movit, aut, si id forte in quibusdam illorum ante ipsum iam Zenodotus vel alii fecerant [48]), utrum qui in Homero sic versati sunt quasi exasciando et poliendo, integra opera eius edidisse queant videri, an aliquid praeter illa recidisse, quod hodie nusquam supersit; denique num textum vel habeamus vel norimus adeo Aristarcho superiorem. Quippe ad hunc in primis auctorem referendas esse lituras istas, collata inter se et pensitata omnia rerum momenta docent. Verum istae liturae ut defendi possint omnes, (ac mihi quidem

non in ordine legimus, vix alii Critico debetur quam Aristarcho.

[47]) De aud. poëtis p. 26. F. Ὁ Φοῖνιξ διὰ τὴν παλλακίδα κατάρατος ὑπὸ τοῦ πατρὸς γενόμενος, Τὸν μὲν ἐγὼ, φησὶ κ. τ. λ. Ὁ μὲν Ἀρίσταρχος ἐξεῖλε ταῦτα τὰ ἔπη φοβηθεὶς etc. Il. ι. 458. sqq.

[48]) Hoc Kusterus opponebat Giphanio, Histor. crit. Hom. II, 5, 3. Sed neuter causam cognoscere potuit tum propter penuriam tabularum.

etiam Phoenicis versus uncis digni videbantur, nisi me gravium et acutorum virorum consensus deterruisset,) minime tamen probabilis est illa Aristarchi ratio, qua, si fides est Athenaeo, versu in Iliade deleto sententiam pervertit, eundemque versum cum quatuor aliis alieno loco transtulit in Odysseam [49]). Tametsi de probabilitate hu-

[49]) Athen. IV. pag. 180. seq. quo loco nullus est omnium, qui sunt de Aristarcho, memorabilior. Quapropter saepe sum miratus, cur, quum is locus doctis editoribus satis notus fuerit, atque bene explicitus a Casaubono, (Clark. etiam verba apposuit,) tamen a nullo illorum adhibitus sit ad vulgarem textum emendandum. Numne Athenaeo minus quam Plutarcho fidem habendam putabant? At uterque sua retulit ex Commentariis veterum, Plutarchus forsitan ex Stoicorum, ille ex Grammaticorum. Nam Scholia hic quoque tacere, non mirum est, quoniam ea in tota Σ. et proxime seq. rhaps. admodum manca sunt et interrupta vitio codicis. Iam ut paucis rem persequar, Aristarchus in Scuto 604. post verbum τερπόμενοι seu τερπόμενος delevit mentionem cantoris, Μετὰ δέ σφιν ἐμέλπετο θεῖος ἀοιδὸς Φορμίζων, sed reliquit rursus hunc versum in Odyssea, quum illos tres, τερπόμενοι — μέσσους, in quarti libri principium transferret, additis adeo, nescio unde, duobus, qui nunc numerantur proximi 15. 16. Quanquam hac in re forsan erravit Athenaeus, sive is, quem ille exscripsit. Tum Criticus ibi insimulatur pro genitivo ἐξάρχοντος, qui olim constanter lectus ad cantorem pertinet, fecisse nominativum ἐξάρχοντες: quasi saltatores dici possent ἐξάρχειν

ius totius criticae rationis non quaerimus; nec materia exstat quaerendi. Nam et hic quodammodo *ruinae perierunt.* Habemus nunc Homerum in manibus, non qui viguit in ore Graecorum suorum, sed inde a Solonis temporibus usque ad haec Alexandrina mutatum varie, interpolatum, castigatum et emendatum. Id e disiectis quibusdam indiciis iam dudum obscure colligebant homines docti et sollertes; nunc in unum coniunctae

μολπῆς. Nam proprium id est eius, qui cithara vel tibia canit, seu praecinit choro. Ut nunc ap. Pindarum sunt ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, ita olim apud eundem erant ἀγεσίχορα προοίμια, et apud Stesichorum ἀρχεσίμολπος Μοῦσα. In quo licet Aristarchus coniecturam suam forsan tueri potuisset doctiore significatione μολπῆς, (v. Apollon. Lex. v. μέλπεσθαι,) non dubito tamen multis de causis assentiri reprehensoribus illius. In Odyssea vero illis versibus vix locus erat propter ea, quae verissime monet Athen. p. 181. E. Et quod ἐκ τοῦ Κρητικοῦ χοροῦ τὸν ᾠδὸν ἐξεῖλεν, huius rei probabilem rationem nullam comminiscor, audaciam autem corrigendi et limandi nemo non intelligit insignem esse. At etiam maiorem, utpote certe pluribus et pulcherrimis versibus minantem, adhibuit Diodorus Aristophaneus, delenda tota γαμοποιΐα, Odyss. 3 — 20. Verum hoc aliter accepit apud Athenaeum Casaub. quem vide p. 326. ubi recte *etiam ex hoc loco colligendum* dicit, *nostros hodie codices Homeri ad editionem Aristarcheam magna ex parte fuisse emendatos.* Plura de utraque ῥήσει a me in aliud tempus reponuntur.

voces omnium temporum testantur, et loquitur historia.

L.

At historiae quasi obloquitur ipse vates, et contra testatur sensus legentis. Neque vero ita deformata et difficta sunt Carmina, ut in rebus singulis priscae et suae formae nimis dissimilia esse videantur. Immo congruunt in iis omnia ferme in idem ingenium, in eosdem mores, in eandem formulam sentiendi et loquendi. Eam rem quisque intime sentit, qui accurate et cum sensu legit: ac ne id sentias tantum, sed causis suis cognoscas, saepe tibi ab his Carminibus ad Apollonium Rhodium, ad alios Alexandrinos poëtas et ad eum, qui vulgo Homeri imago putatur, Quintum Smyrnaeum transcurrendum est. Quid autem? si mirificum illum concentum revocatum in primis Aristarchi eleganti ingenio et doctrinae debemus. Quid? si hic ipse Zenodoti et antiquiores interpolationes multosque absonos versus sustulit; tales dico, quales paullo ante notavi [50]): quos qui forte erutos nobis postliminio restituere vellet no-

[50]) In notis 45. et 46. Illisque addenda videtur maxima pars versuum eorum, qui in vulgari nostro textu adhuc haerentes, mihi plerique uncinati, plane absunt ab optimo codice Veneto. Numero sunt 46. Nec horum magis quam illorum ab Eustath. servatorum indicium fit in Scholiis nostris.

vus editor, rideretur, ut opinor, ab iis ipsis, qui nunc Ariſtarchum tamen rident. Quid? ſi Ariſtophanes et Ariſtarchus comparandis vetuſtatis monumentis omnibus proprium aetatis cuiusque ſonum et legitimas antiquae orationis formas calluerunt, et iidem Hymnos ceterosque libros, olim magno numero Homeri nomine venditatos, tanquam ſpurios Homerica familia ſummoverunt, primique in hoc genere altioris ac ſubtilioris iudicii, ſed hominibus Graecis minus difficilis, excelluerunt atque praeclara exempla dederunt [51].

[51]) Neque ſolum in Hymnis, ut puto. Nam ad illos potiſſimum Criticos vel diſcipulos eorum retulerim, quod eruditioribus aetatibus nullum ferebatur ὁμολογούμενον γράμμα τῆς Ὁμήρου ποιήσεως πρεσβύτερον, ut ait Ioſeph. Sed de Hymnis prope compertum habeo, quod modo dixi, nullum doctorum Alexandrinorum eos pro Homereis habuiſſe. Etiam hic ſilentia loquuntur. Non quod talibus ſignificationibus multum tribuam, qualis eſt ap. Apollon. Lex. v. Φιλομηλείδης; etſi iſtae non de nihilo ſunt. Nusquam in tot Scholiis ad Iliadem et Odyſſeam, ne ſemel quidem, auctoritas Hymnorum affertur, quum eius rei occaſio eſſet. Immo cum exemplis τῶν νεωτέρων ſ. τῶν μεθ' Ὅμηρον, *poëtarum Homero poſteriorum*, quae afferuntur ab illis, convenit nonnunquam plane hic uſus Hymnorum. Quae ſi vera ſunt, facile poteſt coniici, qui factum ſit, ut olim nulla celebris fuerit collectio Hymnorum, parata ab erudito Grammatico. Nimirum ſi fuiſſet talis, aut equidem Scholiaſtarum con-

Fateor, haec omnia a nobis non poſſe confirmari ob egeſtates fontium: et clariorum temporum lucem exſpectanti ſenſim ſubrepit taedium coniecturarum: at unam rem non debeo omittere, ad iudicium noſtrum de hoc vulgato Homero graviſſimam. Nam ut Ariſtarchus a pluribus veterum partim clare partim tectius inſimulatur maximae temeritatis in corrigendo, in tollendis et excernendis bonis verſibus [52]), ita nemo unus repe-

ſuetudinem ignoro, aut alicubi ſaltem eius nomen exſtaret. Nunc Hymni ab optimis ſcriptoribus antiquitatis neglecti, praeter Pauſaniam et ſimiles antiquarios, ne deſiderium quidem noſtrum moverent, niſi rara fortuna aliquot codicum foliis peperciſſet.

[52]) Vide ſup. p. CCXXXII. ſqq. et CCLIII. ſq. At fortaſſe nonnulli etiam ἐξαίρεσιν (*lituram*) ſubiecerunt vocabulo ἀθετήσεως. Nam iſta duo confundi videntur interdum; et fuit facile confundere, praeſertim verba περιγράψαι et ἐξελεῖν. Cuiusmodi certum exemplum praebet Euſtath. ad Odyſſ. p. 1480. 19. collato loco Athenaei. Ceterum libidinem corrigendi, quae proprie dicitur in verbis et ſententiis ſingulis, veteres rariſſime reprehendunt in Ariſtarcho, etſi non raro recedunt a decretis eius. Praeter haec ſingulares ſunt in Scholiis loci duo, unus ad ι. 222. alter ad π. 466. In priore Ariſtarcho etiam reverentia veterum recenſionum tribuitur et περιττὴ εὐλάβεια: in poſteriore conſtantia emendationis eorum, quae praeceptis ſuis contraria putaſſet. Quum enim ibi aliquid tale ſit, enarrator conjicit, in exemplari illius aliam ſcripturam olim fuiſſe: οὐ γὰρ ἂν αὐτὸ ἀπαραμύθητον ὁ Ἀρί-

ritur, qui ipſum narret aliquid inſigne ſubieciſſe poëtae, aut a ſe compoſitos verſus inculcaſſe. Atque id ab illo non eſſe factum, etiam veriſimile eſt propter ea, quae de ingenio eius diximus, apto illo quidem et trito iudicandis carminibus, haud ſcribendis. Itaque, ut omnia ſumma tribus verbis complectar, Ariſtarchus id, quod audacia aetati ſuae propria, atque adeo rei conſentanea, nimiaque ſobrietate acuminis deliquit, penſaviſſe videtur religione et cura et omni cautione, ne quidquam in exemplum ſuum admitteret, niſi quod Homericae aut certe priſcae monetae eſſet.

Revertamur ad propoſitum. Eſt enim reliquum, ut de ἀθετήσει Ariſtarchi proprie dicamus. Macrobius quidem ſcribit, tria haec ex aequo impoſſibilia iudicari, vel Iovi fulmen, vel Herculi clavam, vel verſum Homero ſubtrahere [53]). Hoc is recte, ſenſu illo quo dixit: ſed perperam transfertur ad hanc rationem criticam. Nec iam loquor de verſibus, quos dudum oblitteravit Ariſtarchi recenſio. Subtracti ſunt illi; Homerus paſſus eſt; nemo ſentit. Sed nullum eſt omnino genus ſcriptorum, cui facilius et cum minore diſpendio ſententiarum aliquid demi poſſit, quam his ἀοιδοῖς,

σταρχος ἀφῆκεν, *non relicturus fuiſſet illud ſine medela aut fomento.* Doctum hoc eſt et vetuſtum Scholion, ſed cuius auctor textum Ariſtarchi non viderat.

[53]) Saturn. V, 3.

quippe quorum oratio iuvenili ubertate per longas ambages deducitur, et apud quos ſaepe levium, ad noſtrum quidem ſenſum, ac minutarum rerum imago ſpirat. Neque apud eos comprehenſio et ambitus verborum ſic terminatur artificioſe, ut perpetuitas contextus tollatur dempto aliquo verſiculo; quin contra ita nonnunquam ad doctas aures gratior currit ſententia. Sed nolo nunc cauſas huius rationis emendandi perſequi; quid Ariſtarcho placuerit, breviter et ſimpliciter tradam.

Enimvero primum nobis fons indagandus eſt, unde ἀθετήσεως exempla petamus. Namque celeberrimi illius obeli tam rara veſtigia exſtant ſub Ariſtarchi nomine, ut congeſta ex Scholiis, ex Euſtathio, ex reliquis ſcriptoribus, omnia vix triginta verſibus ſuſpicionem importent. Ea res me pedetentim adduxit in hanc opinionem, ut hodie ἀθετήσεις clariſſimi Critici multo ſaepius legi putem quam nomen eius, multoque maiorem partem notationum huius generis, quae in Scholiis ſine auctore afferuntur [54]), ad eius auctoritatem

[54]) Sive verbo ἀθετεῖται, in Scholl. adſcripto ſimpliciter verſibus iis, qui in textu praeſtantiſſimi cod. virgula ſignati ſunt: ut in rhapſ. α. 29 — 31. 110. 133. 139. 192. 424. 444. 474.; ſive addito voc. ὀβελός: ut ϑ. 235. at id rariſſime. Sunt tamen etiam loci, qui in textu quidem habent virgulam ſ. obelum, ſed indicium eius deeſt in Scholl. Vide ad α. 96. 493. Catal. 110. 138. 381. 382. δ. 149. κ. 51. 52. μ. 371. (ὅτι διεσκεύασται.) τ. 125. ψ. 259—

referendam eſſe. Id quibus argumentis coniecerim, paucis docebo; an probabilia ea argumenta ſint, cuiusvis erit iudicare.

Primo enim apparet, totum hoc corpus Scholiorum potiſſimum ad Ariſtarchi recenſionem eſſe comparatum: arguunt id librorum ſubſcriptiones [55]; arguunt plurimae lectiones et correctiones; arguunt omnia. Tanta autem ille fuit exiſtimatione apud Grammaticos cuiusque ſectae, ut vel omiſſo nomine ſatis ſignificatus videretur legentibus. Huc accedit graviſſima ratio, quod verſus aliquot ſimpliciter ἠθετημένοι eſſe traduntur in Scholiis, et in textu codicis obelo notantur, quos alii perſpicue tradunt ab Ariſtarcho notatos [56].

261. ω. 677. 778. Aliquoties adeo obelus poſitus eſt confuſe et falſo, ut hac de re ſingulatim dicendum ſit in deſcriptione codicis.

55) Ubi primo loco promittuntur in Scholiis τὰ Ἀριστονίκου σημεῖα καὶ τὰ Διδύμου περὶ τῆς Ἀρισταρχείου διορθώσεως.

56) Satis erit hic quoque tribus exemplis defungi. Verſus Odyſſ. λ. 583. in Ven. Schol. Il. Catal. 104. (597.) refertur ad τὰ κατὰ τὴν Νεκυίαν ἠθετημένα, totique illi loco de Tantalo adſcriptum eſt in codd. quibusdam ΝΟΘΕΥΕΤΑΙ. Iam dudum ex Schol. Pind. ad Olymp. I, 97. conſtitit, κατὰ Ἀρίσταρχον νόθα εἶναι τὰ ἔπη ταῦτα. Ad Catal. 36. (529.) legitur apud Euſtathium et in Scholiis iam olim editis, hunc et duo proximos verſus ἠθετῆσθαι a nonnullis; in ἀθετοῦσι nominatur Zenodotus. Sed ad Il. ι. 395. eadem Scholl. in uno illorum verſuum plane dant auctorem criſeos Ariſtarchum, quaſi παρακολουθοῦντα Θουκυδίδῃ (I, 3.). Nunc etiam neceſſarium verſum Odyſſ. α. 344. ab illo notatum legimus; addendique ſunt haud dubie δ. 726. 816. Tertius inſignior teſtis eſt Athen. II, p. 39. D. de verſu Il. θ. 231., quem ob inepte ſupervacuam ſententiam ab Ariſtarcho notatum ſ. deletum ſcribit, (habet περιγράφειν,) et plane probat illud iudicium. Ebrietatem ſpiritus facere, non κρεωφαγίαν. At utroque etiam fiunt melius. Quod, mirum eſſet, ni et Ariſtarchus ſenſiſſet. Quid ergo, ſi proximus vſ. πίνοντες recentior fuerit illo, et additus a novo correctore? Valde laborat is verſus ab ἀσυνδέτῳ, cuius exemplum, admodum dubito, an alibi reperiatur tale in duobus participiis. Quanquam Ariſtarchus hanc figuram amavit, et aliquoties primus in textum intuliſſe videri poteſt. Ut δ. 238. φ. 191. et aliis exemplis aptioribus, quae nunc non ſunt ad manum. Sed de auctore illius ἀθετήσεως nihil liquet ex novo codice, qui obelum habet in textu, et Scholion: Περιττὸς ὁ στίχος· ἐκ γὰρ τοῦ πίνειν, οὐκ ἐκ τοῦ ἐσθίειν τὸ καυχᾶσθαι συμβαίνει.

Denique quid hoc eſt, quod tam frequenter in egregiis illis Scholiis legimus, Zenodotum et Ariſtophanem aliquid προηθετηκέναι i. e. *ante notaviſſe, obelum antecepiſſe* [57])? Cuius? obſecro. Num cuiusquam alius quam eius, qui unus ſtudioſiſſime

57) Vide ad λ. 356. 515. ξ. 95. 213. 317 — 327. ο. 147. 148. σ. 39 — 49. τ. 327. ψ. 824. 825. ω. 6 — 9. 614 — 617. ubi nota, vocabulo προηθέτηται ſ. προηθεῖτο fere praepoſitum eſſe uſitatiſſimum illud ἀθε-

Homero cultum quaesisse, *obelosque*, *spuriorum stigmata vatum*, propemodum invenisse creditus est? Haud vereor igitur, ne coniectura aberrem, si multo maiorem partem istorum obelorum ad Aristarchum pertinere dicam. Nam nonnulli sane videri possint Aristonici esse vel aliorum etiam antiquiorum, quorum memoriam παράδοσις obruerit. Ac cupiat ita rem esse, quisquis favet magno nomini: adeo in illis multa sunt specimina pravissimae temeritatis.

Etenim versus in codice ὠβελισμένοι sunt admodum 470; numerusque fortasse aliquanto maior esset, si codex servatus esset integer. Attamen ne illum quidem numerum per se nimium putem pro fama obeli Aristarchei. Hunc autem ut cognoscamus, necesse est talia quaeramus exempla, quae Aristarcho certa fide adscribuntur. Neque in iis ipsis nihil reperitur, quod nobis, qui nec fontes

τεῖται. Eiusdem generis et significationis sunt loci, ubi est ἠθετεῖτο καὶ παρὰ Ζηνοδότῳ, καὶ παρ' Ἀριστοφάνει, sive οὐδὲ ἦν, οὐδὲ ἐγράφετο, οὐδὲ ἐφέρετο παρὰ Z., παρ' Ἀριστοφάνει. Vide θ. 164. 189. 235. 284. 371. 528. ι. 23. 416. κ. 240. 387. 397. 498. λ. 78. 766. etc. Cf. ι. 684—688. κ. 253. λ. 180. σ. 597. sq. φ. 130. Quatuor tantum aut quinque locis nomen Aristarchi subiectum est illis, ut ι. 684. Haec omnia qui mecum percurrerit, non dubitaturum puto, quin ubique fere Scholiastae respexerint ad *conditorem vulgaris recensionis et* παραδόσεως, *Aristarchum.*

eius, nec causas castigationis omnes novimus, temerarium et ab insigni insolentia profectum videri debeat. Verum non est huius loci, de hoc genere accurate disputare: itaque potiora quaedam leviter perstringamus.

Ordiamur ab extremis, Ὁμηρικῶς, ut aiunt. Nota erat iam dudum ex Eustathio et aliis ἀθέτησις versuum de iudicio Paridis ω. 24 — 30., modo auctor ἀθετήσεως ignorabatur, quem Aristarchum esse nunc comperimus. Ab eo igitur notata sunt in istum locum et alia quaedam sane leviora, et hoc, quod Homerus gravissimam illam causam belli non fuisset uno loco allaturus, quoniam eius attingendae saepe occasio fuisset, si fabula esset omnino aetatis Homericae. Obvertebant quidem nonnulli plura apud poëtam semel memorata, quae tamen Critici intacta reliquissent. Frustra. Non enim ille ε. 63. silet νῆας ἀρχεκάκους i. e. profectionem Paridis Lacedaemonem, in qua ex more saeculi sui haud dubie ad fatalem causam regressurus erat, quae culpam transferret in deos. Quamobrem et veteres [58]), et recentiores aliqui, in quibus instar omnium Hemsterhusius est, plane probaverunt iudicium illud, quo iudicium Paridis tollitur. Neque equidem tantae auctoritati obloquerer, nisi mihi, ut alibi significavi, in his postremis alium auctorem quam priorum librorum

[58]) Macrob. Saturn. V, 16. med. et Auct. Vitae Hom. T. V. Ern. p. 148.

audire viderer. Nunc vero et illud et Heſiodeam μαχλοσύνην [59]) haud gravate fero, etſi ea iam in Ariſtophaneo et in urbicis quibusdam exemplaribus expulſa erat, toto hemiſtichio ſic mutato, ἢ οἱ κεχαρισμένα δῶρ' ὀνόμηνε. Quam recte et religioſe, non dixerim. Nam parum probabiles puto eas omnes coniecturas et obelos, quibus extrema Iliados ad ſimilitudinem Homericae conſuetudinis per vim refingere voluerunt [60]). Alibi ſaepius obſcurior eſt ſententia Ariſtarchi. Ut π. 613. incertum eſt, hicne ipſe verſus an proximi duo, qui nimis ταυτολόγοι ſunt, abfuerint ab altera recenſione illius. Item ι. 684 — 690. (688 — 694.) ambiguum videri poteſt, quid Ariſtarchus primus fecerit, quidque omnino notaverit, quum perſpicue numeretur in ἀθετοῦσι. Quodſi is idem fuit, ut ſuſpicor, qui locum illum συνέτεμε, reiectis ſex verſibus ita ſcribere voluit, ut Χεῖρα ἐήν finem faceret orationis Ulyſſis, eique verſui ſubiungeret duos illos, Ὣς ἔφ. — σιωπῇ et Δὴν δ' ἄνεῳ — Ἀχαιῶν, deleto eo, qui vulgo his interpoſitus eſt,

[59]) Conf. Suidas et Apollon. voc. μαχλοσύνη ibique Villoiſ. Simul ex hac re intelligimus, Ariſtarchum Heſiodo ſeu auctori Καταλόγων inferiorem quam Homero aetatem tribuiſſe.

[60]) Id ita factum eſſe clarum eſt ex Scholl. ad Υ. Φ. Ψ. In quibus rhapſodiis certatim elaborarunt veteres, ut notas proprias alienorum ingeniorum eximerent.

a me uncis incluſus. Nam hic mihi ſemper importune repetitus videbatur, quum ſuperiores, licet et ipſos moleſtos, propter commoditatem ſententiarum ferendos cenſerem. Difficilior erit defenſio audaciae noſtrae h. e. Ariſtarcheae in μ. 175 — 181. contra Pium, qui nonnulla bene opponit, neque tamen id efficit, ut iſtis verſibus plus fidei habeamus quam ſimilibus illis σ. 356. ſqq. [61]). Aliae ἀθετήσεις eius traduntur verſuum δ. 117. ξ. 500. ο. 449 — 451. et 712. σ. 444 — 456. ω. 556. 557. Denique notabile eſt in primis, quod mirantur Grammatici ad ρ. 172., hunc verſum ab illo ſine nota transmiſſum eſſe, quum talia, quae vim ſententiae minuerent reſtringendo, obelis ſignare *conſueviſſet* [62]). Quo uno ex loco ſatis appareret, etiamſi ceteri omnes deeſſent, Ariſtarchum multo plura ἀθετῆσαι, quam quibus nomen eius appoſitum eſt. Atque in Odyſſea quidem non memini niſi unius verſus, ab eo nominatim ἀθετουμένου, β. 137., quem certe durior ellipſis verbi ſubſtantivi parum defendat. Haec enim ipſa interpolationis cauſa eſſe potuit, ut Il. η. 353. ι. 416. et in aliis verſibus. Ceterum etiam obelum poſuit cum aſteriſco coniunctum, duplicata nota ſignificans, ſuo quidem loco egregium verſum eſſe, ſed alieno loco minus recte repetitum.

[61]) Vide ſupra p. CXXX.

[62]) Μεμείωκε τὴν ἔμφασιν. Καὶ τὰ τοιαῦτα εἴωθεν ἀθετεῖν ὁ Ἀρίσταρχος.

Quam ob causam partim 27 versus α. 366. sqq. pro interpolatis habiti sunt; perperam sane illi, ut alii multi eiusdem notae. Neque tamen dubium est, quin similitudo quaedam locorum interdum occasionem dederit versibus inepte iterandis. Sed de his aliisque diligentius disputabo in altera parte huius libri, in qua unci mihi mei defendendi erunt.

LI.

Nunc nobis unus restat e Criticis nobilioribus, Crates Mallotes, qui a singulari studio poëtae Homericus dictus est, Aristarchi idem aemulus et adversarius acerrimus [63]). Is scholam videtur condidisse Pergami, similem Aristarcheae, nec minus celebrem discipulis [64]). Nam ut ab Aristophane sunt Aristophanei, ab Aristarcho Aristarchei,

[63]) Suidas vocc. Κράτης et Ἀρίσταρχος. Illo loco ei tribuitur διόρθωσις Ἰλιάδος καὶ Ὀδυσσείας ἐν βιβλίοις θ', καὶ ἄλλα. In his ἄλλοις fuerunt, ut opinor, plura ad historiam et doctrinam poëtarum pertinentia, et opus περὶ τῆς Ἀττικῆς διαλέκτου s. λέξεως, cuius quintum librum excitat Athen. XI. p. 497. F.

[64]) Scripserat de ea Ptolemaeus Ascalon. ἐν τῷ περὶ τῆς Κρατητείου αἱρέσεως laud. in Schol. ad γ. 155. Ad eiusdem scholae sive sectae auctoritatem unice refero τοὺς ἐκ Περγάμου Γραμματικούς, et τοὺς Περγαμηνοὺς πίνακας (*catalogos classicorum scriptorum*) apud Dionys. Hal. T. V. Reisk. p. 630. 661., ubi Sylburg. male cogitabat de Aristarcho.

ita Cratetei appellantur nonnulli, quibus et ipsis aemulationem et certamina reperimus fuisse cum Aristarcheis [65]). Postquam enim reges animosiora studia expulerant ex civitatibus Graecorum, amor contentionum in scholas Rhetorum et Grammaticorum migravit, et, uti olim de principatu in re publica, ita nunc de grammaticis quaestiunculis gravissime inter se certarunt. Ac videtur quidem Crates Aristarcho parum cessisse existimatione aequalium, quippe qui cum illo in coryphaeis huius artis numeretur [66]), novamque gloriam duxerit ex eo, quod doctrinam litterarum primus pertulit ad Romanos [67]).

Permirum est, in paucis reliquiis eius fatis argumenti esse, ut, quibus de rebus cum Aristarcho contenderit, et quantum inferior fuerit illo,

[65]) Ut Herodico Babyl. de quo v. Ionf. S. H. P. II, 13, 6. conf. Scholl. ad ν. 29. υ. 53., si modo hic idem est Herodicus, diversus ille quidem ab Herodico Selybriano, noto medico, ι. 453. λ. 515. De Zenodoto Crateteo attuli coniecturam meam p. CXCIX. Tauriscum addit Sextus Empir. c. Math. I, 248. Alexandrum Polyhistorem Suid. T. I. p. 104. Contra laudantur libri Dionysii Thracis et Parmenisci πρὸς Κράτητα, *adversus* Cr., ad θ. 513. ι. 460.

[66]) Strabo I. p. 30. (54.) Sextus Empir. I, 44.

[67]) Sueton. de ill. Gramm. c. 2. ubi memoratus Attalus haud dubie est II. cognomine Philadelphus, qui Pergami coepit regnare Olymp. CLV, 2. A. U. C. DXCV.

ſuſpicari liceat. Immo nullius veterum Criticorum ingenium et doctrinam nobis tam bene noſſe videmur, quam Cratetis huius. Ac primum quidem, quum Ariſtarchus Homerum ad ſimplicitatem priſcorum temporum, non ad novas opiniones temere affictas, interpretari inſtituiſſet, Crates Stoicus gloriae vatis male conſuli putavit, niſi ipſi multiplices artes Pergamenas allineret, eumque converteret in Philoſophum, Mathematicum, Aſtronomum, Geographum, et quidvis potius quam quod ipſe eſſe voluerat. Illius generis ſunt pleraque, quae ex Commentariis eius excerpta leguntur apud Strabonem, Geminum et Grammaticos, de Homerico Oceano, de Arcto non occidente, de Aethiopibus bifariam diviſis, de Gadibus a Menelao circumnavigatis, de Laeſtrygonibus ſub dracone habitantibus, de Eremnis, populo Indiae, de interpretatione νυκτὸς θοῆς [68]); tum ſimilia inepta de allegoriis

[68]) Vide Strab. I. p. 3. (7.) coll. Apollon. Lex. v. ἄμμορον cum Exc. Tollii, (quem tamen et emendatio commenti Cratetei et aſtronomica ratio fefellit,) tum p. 5. (10.) 31. (54.) 38. (56.) Geminum Elem. Aſtron. c. 5. et 13. Schol. ad Il. ο. 496. Euſtath. ad κ. 394. p. 814. 20. ad Odyſſ. Schol. β. 1. et Euſtath. δ. 84. p. 1485. 1. κ. 82. p. 1649. 33. υ. 299. Etym. M. p. 370. 43. Penitus noris hominem, ſi ad iſta loca conferas Strab. III. p. 157., ubi tanquam princeps memoratur eorum, qui τὴν Ὁμήρου ποίησιν πρὸς ἐπιστημονικὰς ὑποθέσεις ἔτρεψαν. In transcurſu etiam illius unum, quod ſupereſt,

fabularum, de Apolline eodem ac Sole, de Vulcano, experimenti phyſici cauſa in Lemnum praecipitato, de cultiore victu heroum etc. [69]). De quibus rebus omnibus ſi non meliora docuit iis, quae in margine commonſtravi, eas res edocendos nos Voſſio noſtro tradamus, Crateteam ſapientiam non deſideremus. Neque vero eum rectius verſatum eſſe video in grammatica explicatione, ubicunque disſentiret ab Ariſtarcho, id quod longe ſaepius factum puto, quam notatum reperitur [70]). Quanquam hoc in genere nonnihil eſt, quod receptum

exemplum λύσεως afferamus de Il. σ. 192. Ibi quod Achilles negat ſe pugnare poſſe, quia arma ſibi ablata eſſent, neque ullius herois, niſi forte Aiacis, apta futura, quaerebant ἐνστατικοί, cur non arma Patrocli ſumpſiſſet, aliique alio modo gravem ſcilicet difficultatem tollebant. Hic Crates finxit, (finxit, inquam: nam ubi Homerus ſtrategema illud ad hunc modum perſequitur?) Patrocli arma iam Automedontem induiſſe. Non vidit ergo vir acutulus, de integro iam quaerendum eſſe, cur non Achilles denique Automedontis induiſſet, ſibi aeque bene ſeſſura.

[69]) Vide Heraclid. Alleg. Hom. c. 27. Schol. ad Il. σ. 239. Euſtath. p. 1140. 47. p. 1893. 1.

[70]) Vide Strab. IX. p. 439. (670.) Schol. ad Il. α. 592. coll. Euſtath. p. 1003. 38. Scholl. ad ι. 169. ν. 358. ξ. 31. ſeq. ψ. 679. Apollon. Lex. v. πλωτῇ ad Odyſſ. κ. 3. Schol. br. ad μ. 61. et Euſtath. ad ξ. 12. τ. 229. Etym. M. p. 634. 8. etc. Semel laudatur Cr. ἐν Ὁμηρικοῖς in Schol. ο. 193.

hodieque placet, et ab optimis interpretibus defenditur [71]). Denique quomodo se tractarit in variis partibus critici muneris, quod etiam in Hesiodo susceperat, minus exploratum habemus propter paucitatem talium speciminum [72]). Sed equidem non plura quaesierim, ut pravum hominis acumen mirer et indoctam temeritatem.

71) Vide br. Schol. ad Odyss. α. 320. coll. Etym. M. p. 111. 21. Schol. ad χ. 188. et Eustath. p. 1924. 11. etc.

72) Lectiones Cr., quae tamen non sunt omnes coniecturae ipsius, in Scholiis, Eustath. et Etym. M. notantur hae: Il. γ. 155. ὦκα retractum ad ἰοῦσαν, λ. 753. δι' ἀσπιδέος, hodie vulgo lectum, μ. 25. ἐν δ' ἦμαρ (de quo v. sup. p. CCXVII. med.) φ. 322. τυμβοχόης pro infin. τυμβοχοῆσ' aut vulgato τυμβοχοῆς, 558. Ἰδήϊον, quae forsan optima est omnium, ψ. 361. μεμνοῖτο, ω. 253. κατηφέες, Odyss. γ. 293. Βλισσήν, λ. 14. Κερβερίων p. Κιμμερίων. Conf. Scholl. et Intpp. ad Hesiod. Ἔργ. 530. Theog. 142.

FINIS VOLUMINIS I.